
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





PETRI PAULI BILLETI
PARISIENSIS
OPUSCULORUM MISCELLANEORUM
LATINO SERMONE SCRIPTORUM,

PARS PRIMA,

QVÆ CONTINET SATYRAS, ELEGIAS, VARIA POEMATUM GENERA, ET ALIQVOT ODAS:

ADDITI SUNT HIS DUODECIM EPIGRAMMATUM LIBRI, QUORUM UNUSQUISQUE CENTUM AD MINIMUM Epigrammata continet;

EORVM VERO VLTIMVS EPIGRAMMATA PHALAICIS ſcripta Carminibus comprehendit:

SEQUUNTUR IN FINE NON PAUCÆ Familiares, Suaſoriæ, Laudatoriæ, & Conſolatoriæ Epiſtolæ,

INTER QVAS ETIAM NON INJVCVNDA Comœdiæ à clariſsimo Viro Hiſpanicè ſcriptæ deſcriptiuncula reperitur, opus, vt credere eſt, varietate, & ſtylo puriſsimæ Latinitatis ſtudioſis, humaniorum literarum cupidis, non inutile, nec ingratum.

Potentiſsimo Principi Philippo à Francia, munificentiſsimo Hiſpaniarum Regi nomine Quinto:

*** CUM PRIVILEGIO, ***

MATRITI: Typis Emmanuelis Ruiz de Murga, Anno Domini 1703.

POTENTISSIMO PRINCIPI
PHILIPPO A FRANCIA,
MVNIFICENTISSIMO
HISPANIARVM REGI
NOMINE QVINTO,
INVICTISSIMO ITALIÆ PACATORI,
JVSTISSIMO MONSTRORVM DEBELLATORI,
ET CLEMENTISSIMO SVPERBORVM,
PERDVELLIVMQVE DOMITORI;
HANC PRIMAM OPVSCVLORVM SVORVM
Latinorum Partem dicat, & ſcribit fideliſsimus,
& obſequentiſsimus ſubiectus,

PETRVS PAVLVS BILLETVS PARISIENSIS.

NON Iuſſu quidem, verùm permiſſu ſacræ Majeſtatis tuæ, Potentiſsime, Inviĉtiſsimeque Rex, non ad manus, ſed ad pedes tuos, prodit hæc Prima opuſculorum miſcellaneorum meorum Pars, atris, infeſtiſque invidiæ dentibus appetita, etiam priuſquam in lucem ederetur, ſcilicèt, fama volarat, quaſdam eorum, quaſi primitias tibi oblatas, non mediocritèr placuiſſe, & luculentè ſatis laudatas eſſe. Hoc ſat erat, vt inviderent, & pro liuoris ſenſu,

for-

forsan, si potuissent, quid in me crudelius consulerent, quam convitia scriptis edita, quam contumeliosa oris probra, quibus me pasim lacerare non renuerunt. Quo iure? Nempè iterùm referam; haud modicè quædam ex his opusculis, Rex munificentissime, Tibi arrisere. Quid ergò? si fortunæ meæ tenuitatem, ne quid pejus dicam, liberalitate tua emendans, ab asiduo, & quotidiàno labore, me jam senio prope confectum, ad tranquilliorem vitam, licet laboriosam, vt libellis meis supplicibus expetieram, advocasses? Quid? Si, vt justus literarum, & doctrinæ æstimator, & amans, meas lucubrationes quodam titulo decorare dignatus esses? Quid tandem, si pietate motus, extenuato Patri, imparique tanto filiorum jam grandiusculorum oneri sustinendo opitulaturus, non tantùm meæ, sed bonorum omnium spei respondisses, aut aliquando responderis? Invidi præ dolore obierint, liberi ex paupertate soluti, perpetuas gratias tibi habuerint, & ego Pater, præ gaudio obierim, grates immortales agens, & Deum in æternum oraturus pro tua, & Regni tui perenni felicitate.

AP-

APPROBATIO REV. PATR. HIERONYMI *Gutierrez è Societate Iesu, Seminarij Matritensis eiusdem Societatis Humaniorum Literarum Magistri.*

D. D. Ildephonsi Portillo & Cardos Matriti, & eius Tractùs Vicarij commissione, Librum variarum multimodis metris Poeseon, Epistolarumque constantem argumentis, Authore D. Petro Paulo Billeto Parisiensi, perlegi: & cum non semel aliquibus ex his operibus animum recreassem, non modò Ingenij Authoris iam dudum mihi notissimi, propter egregias animi dotes acumen, vbertatemque laudavi; sed etiam eius ad literas propensionem maximè miratus sum. Cúm enim vir sit edocendis multis idiomata aliquot, quæ callet optimè, nimis distentus, Musis, quibus est addictissimus, excolendis, frequentèr navat operam. Et ne temporis nobis pretiosissimi iacturam faciat, ad otiumque, animorum pestem infestissimam, prorsus evitandum, vel per vias incedens publicas (vt ab ipso, ingenuè, & familiaritèr mecum agente, audivi) in condendis ea, qua pollet, facilitate carminibus, mentem occupat. Nihil in his operibus Catholicæ, Orthodoxæque Fidei oppositum continetur, aut Christianis moribus repugnans; quinimò ea cunctis ad mores corrigendos, vitiaque ex animis extirpanda vtilissima fore, iudico. Nam cùm in illis vitia lepidè carpantur, omnibus optima præbetur occasio ea fugiendi, quæ in alijs facilè damnamus in alieno, vt aiunt, capite facere periculum edocti. Carminum lepòres communi vtilitati novit Author coniungere, de quo iure equidem maximo decantatissimum carmen dicere valemus:

Ille tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Quamobrem, non solùm facultatem, quam expetit, sibi iudico concedendam; verumetiam grates referendas plurimas. Sic sentio. In nostro Matritensi Seminario huius Domus Probationis, Societatis Iesu, die 30. Martij ann. 1701.

Hieronymus Gutierrez.

* LICEN-

Licencia del Ordinario.

NOS El Licenc. Don Alonſo Portillo y Cardos, Dignidad de Chantre en la Inſigne Colegial de Talavera, Arcipreſte de Guadalaxara, Inquiſidor Ordinario, y Vicario deſta Villa de Madrid, y ſu Partido, &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir, è imprima vn Libro Latino, en proſa, y verſo, compueſto por Don Pedro Pablo Billet, Interprete de Lenguas en eſta Corte, atento que de nueſtra orden ſe ha viſto, y reconocido, y no contiene coſa contra nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Dada en Madrid à dos de Abril de mil ſetecientos y vn años.

Lic. D. Alonſo Portillo
y Cardos.

Por ſu mandado,
Juan Phelipe de Lara.

CEN-

CENSVRA REV.^MI P. MAG. THOMÆ de Salas, è Societate Iesu, Sanctæ Inquisitionis Supremi Senatus Qualificatoris, Regijque Concionatoris.

REgij Senatus iussis obtemperans, Librum legi à D. Petro Paulo Billet Parisiensi, Latino idiomate, tàm ad numerum Poeticum stricto, quàm soluto compositum, Satyras, Elegias, Odas, Epigrammata, Epistolasque Familiares continentem. Cùmque huiusce artificiosi Operis, non tam censuram ferre debeam, quàm meum aperire iudicium, quid Auctoris nomini, operis capiti præfixo, addere possum? Opus hoc laudari amplius nequit, quàm tali, satisque cognito Auctore dignum asserere; ipseque, si hucusque in Hispania incognitus foret, ab ipso suo hoc labore satis proderetur. Liber ergo hic maius est Auctoris encomium, Auctorque ipse libri maior commendatio; cùm omnibus, in omnibus eius eruditio innotescat. Iuvenalem, sine nævo, in Satyris video; in Elegijs, Ovidium; in Odis, Horatium; in Epigrammatis, Martialem; in Epistolis, Ciceronem. Omnia, quæ in multis sparsa fuere, in se vno congessit. Et cum cuiuscumque hominis laus sit maior, quæ ab ipsius desumitur operibus, ad quinquagesimum Libri quarti huius Operis Epigramma Lectorem remitto, quod non solùm ab Authore de Iride, sed de ipso Auctore à me quasi dictum accipiat; & ne totùm hic inutilitèr transcribam, satis dixero, si vltimum eius Distichon decerpam:

En paucis referam, quod multæ sola mereris:
Nec tibi, quod multis, sic satis esse valet.

Sed vt munus à Regio Senatu mihi iniunctum adimpleam, nihil in hoc Opere Fidei Catholicæ contrarium, bonisque moribus adversum contineri iudico. Sic sentio, salvo meliori, &c. In hoc Imperiali Societatis Iesu Colegio Matritensi, die Aprilis 17. anno 1701.

Thomas de Salas.

EL REY.

POR quanto por parte de vos Don Pedro Pablo Billet, natural de la Ciudad de Parìs, y residente en esta nuestra Corte, nòs fue hecha relacion, auiades compuesto vn Libro, intitulado, Vuestras Obras Latinas, el qual pretendiades dar à la Imprenta, para lo qual, nos suplicasteis mandassemos daros licencia para poderlo imprimir, y Privilegio por diez años, ò como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quanto en èl dicho Libro se hizo la diligencia que la Pragmatica por Nos sobre ello hecha, dispone; se acordò dar esta nuestra Cedula, por la qual os damos licencia, y facultad, para que por tiempo, y espacio de diez años primeros siguientes, que corran, y se cuenten desde el dia desta nuestra Cedula en adelante, vos, ò la persona que para ello vuestro Poder huviere, y no otra alguna, podais imprimir, y vender el dicho Libro, que de suso se haze mencion. Y por la presente damos licencia, y facultad à qualquier Impressor de nuestros Reynos, que nombraredes, para que, durante el dicho tiempo, le pueda imprimir por el original, que en el nuestro Consejo se viò, que và rubricado, y firmado al fin de Don Estevan Campo, nuestro Escrivano de Camara, de los que en èl residen; con que antes, y primero que se venda, le traygais ante ellos, juntamente con el original, para que se vea si la dicha Impresion està conforme à èl, ò traigais fee en publica forma, como por Corrector por Nos nombrado, se viò, y corrigiò la dicha Impresion por el dicho original: y mandamos al dicho Impressor, que assi imprimiere el dicho Libro, no imprima el Principio, y Primer Pliego dèl, ni entregue mas de vn solo Libro, con el original, al Autor, ò persona, à cuya costa lo imprimiere, ni otra persona alguna, para efecto de la dicha correccion, y tassa, hasta que antes, y primero el dicho Libro estè corregido,

gido, y taſſado por los del nueſtro Conſejo; y eſtando hecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho Principio, y Primer Pliego dèl, en el qual inmediatamente ponga eſta nueſtra Licencia, y la Aprobacion, Taſſa, y Erratas; ni lo podais vender, ni vendais, ni otra perſona alguna, haſta que eſtè el dicho Libro en la forma ſuſodicha, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en la dicha Pragmatica, y Leyes de nueſtros Reynos, que ſobre ello diſponen. Y mandamos, que durante el dicho tiempo, perſona alguna, ſin vueſtra licencia, no le pueda imprimir, ni vender, pena que el que lo imprimiere, y vendiere, aya perdido, y pierda qualeſquier Libros, moldes, y aparejos que dèl tuviere, y mas incurra en pena de cincuenta mil maravedis por cada vez que lo contrario hiziere, de la qual dicha pena ſea la tercia parte para la nueſtra Camara, y la otra tercia parte para el Juez que lo ſentenciare; y la otra tercia parte para el que lo denunciare. Y mandamos à los del nueſtro Conſejo, Preſidente, y Oidores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la nueſtra Caſa, Corte, y Chancillerias, y otras qualeſquier Juſticias de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de los nueſtros Reynos, y Señorios, y à cada vno dellos en ſu juriſdiccion, aſsi los que aora ſon, como à los que ſeràn de aqui adelante, que os guarden, y cumplan eſta nueſtra Cedula, y merced, que aſsi os hazemos, y contra ella no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la nueſtra merced, y de cincuenta mil maravedis para la nueſtra Camara. Dada en el Buen Retiro à veinte y cinco dias del mes de Abril de mil ſetecientos y vn años. YO EL REY. Por mandado del Rey nueſtro ſeñor. Don Juan de Corral.

ERRA-

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 44. verſ. 7. arbiter, leg. *arbitrer*. Lib. 3. epigr. 6. verſ. 8. ditior, leg. *dicier*. Lib. eodem, epig. 28. verſ. 1. munificè, leg. *munifici*. Lib. eodem, epigr. 81. verſ. 3. vt hunc, leg. *hunc vt*. Lib. eodem, epig. 101. verſ. 5. nox, leg. *nos*. Lib. 5. epigr. 5. verſ. 1. an, leg. *an ne*. Lib. eodem, epig. 64. verſ. 2. viri, leg. *vir*. Lib. eodem, fol. 142. verſ. 2. feras, leg. *ferat*. Lib. 6. epig. 26. verſ. 3. daretur, leg. *daret vt*. Lib. 7. epig. 23. verſ. 2. fuerunt, leg. *fuerant*. Lib. eodem, epig. 42. verſ. 4. quæras, leg. *petas*. Lib. eodem, epig. 43. verſ. 3. licet, leg. *licet at*. Lib. 8. epig. 74. verſ. 2. nec certa, dele *certa*. Lib. eodem, epig. 75. verſ. 9. ſæva, leg. *ſævæ*. Lib. 12. epig. 38. verſ. 11. poteſt, leg. *poſsit*. Lib. eodem, epig. 41. verſ. 2. gradum, leg. *greſſum*.

He viſto eſte Libro, intitulado, Varias Poeſias, ſu Autor Don Pedro Pablo Billet, con eſtas Erratas, correſponde à ſu original. Madrid, y Diziembre à quatro de ſetecientos y tres.

D. Benito del Rio y Cordido,
Correctór gen. por Su Mag.

CERTIFICACION DE LA TASSA.

DOn Eſtevan Campo, Secretario de Camara del Rey nueſtro ſeñor, de los que en ſu Conſejo reſiden, certifico, que aviendoſe viſto por los Señores dèl vn Libro, que con ſu licencia fue impreſſo, intitulado, Varias Poeſias, y Proſa Latina, compueſto por D. Pedro Pablo Billet, taſſaron el dicho Libro, y cada pliego del à ſeis mrs. el qual tiene quarenta y vn pliegos, que al dicho reſpecto monta ducientos y y quarenta y ſeis mrs. y à eſte precio, y no mas, mandaron ſe venda en papel, y que eſta Taſſa ſe aſsiente, y ponga al principio de cada vno de los Libros, que ſe imprimieren, como conſta del Decreto original, que queda en eſte Oficio, à que me refiero, y para que dello conſte, doy la preſente. En Madrid à quatro dias del mes de Diziembre de 1703. años.

D. Eſtevan Campo.

D. D.

D. D. FELICIANVS GILBERT de Pissa ad amicum suum D. Petrum Paulum Billetum, quem precatur, vt semper, semperque ad Reipubl. Literariæ vtilitatem, vt assolet, scribat.

SCripserunt plures quamplurima carmina Vates,
Sed non ex omni parte beata vigent.
Fuderunt alij chrystalla canora Poetæ,
Carmina sed Graphicis pauca dedere Typis.
Plurima perfecto rari scripsére cothurno,
Vltimus innumeris clauditur artis apex.
Sed tu plura canens, canis optima quæque, priores
Ingenio extremos vincis, & arte viros.
Scribe, sed haud cessa, sic maior habébere cunctis,
Sic tua dupliciter Musa perennis erit.



IN

IN AVCTORIS LAVDEM, Operisque ejus, Anonymi

EPIGRAMMA.

SEdula vt Hyblæos populata meliſſa receſſus,
Condit in alveolis roſcida mella ſuis.
Sic hilares Vatum poſtquam luſtraveris hortos,
Floribus è variis elicis hoſce favos.
Ingenio felice refers Epigrammate Vatem,
Indubiam palmam, qui tulit vnus adhuc.
Ore tuo in Lyricis modulatur Horatius alter,
Eſt & Pindaricis par tua Muſa modis.
Dulce placebit opus, quis enim non dulcia laudet?
Si cui non ſapiat, fortè nec ille ſapit.



PRÆSTANTISSIMO, ET ERUDITISSIMO Viro, omni Literarum genere excultissimo, D.D. Petro Billet Parisiensi:

Quidam è Societate Iesu amicissimam adprecatur salutem.

NON Crediderim vspiam, Vir doctissime, scriptionem vllam meam tibi vsui, & ornamento futuram. Ea enim omnium quotquot benè sapiunt, in te crescit in dies propensio, vt mihi tunc consulere, vel minimè censear, intusque canere, vt aiebat nonnemo, dum tui, tuorumque sermonum, eruditionis, literarum amantissimus esse pergam. Neque à te amando revocare animum, atque mentem vnquam valuero, quin tu (quod nunquam fiet) mores tuos, doctrinamque omni eruditionis suppellectili instructam dediscas. Es enim, qui Gallus inter Hispanos iam dudum eo pacto extiteris, sicque te tandiù gesseris, qui propterea de Patria in paucis benemerentissimus videaris, quandoquidem Hispanorum te adeuntium, & audientium affectus, animosque erga gentem literis, & armis clarissimam, Gallicam nempé te eruditione eximia, morumque suavitate, sive excitasse, sive allexisse opinor, ac gravi ductus fundamento censeam. Nescio equidem, an verè dicam te quasi præluxisse arctissimo Hispanos inter, & Gallos per cuncta deinceps æva perennaturo amicitiæ, & consuetudinis fœderi. Ex Hispanis profectò quisque tuo convictu, doctrina, & studijs mirificè delectabatur. Amabant te cuncti sua quidem sponte, atque tuæ iudicio virtutis, & sapientiæ splendore admoniti, eo etiam turbulentissimo tempore, quo gentes præ reliquis florentissimæ acri se vtrinque bello premerent, de quibus cecinisset rursus aptissimè Maro:

Tanton? Placuisse concurrere motu — Virg. 12 Æneid.
Iuppiter, æternà gentes in pace futuras.

Sapientiæ ergo tuæ, diutinæque apud Hispanos commo-

tationi referat, non immeritò Gallia illorum animos ergà se tanti gnati Parentem iam diu bene affectos extitisse. De te proinde liceat proclamasse, quod Sanctum Hieronymum de Romanæ olim Historiæ Scriptore clarissimo prodidisse scimus: *Ad Titum Livium lacteo fonte manantem quosdam nobiles venisse credimus, & quos ad sui contemplationem Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit.*

S. Hier. ad Paulin.

Enimverò iure optimo tribuerim tàm egregios animi tui triumphos, eximiæ, qua polles, versus edendi, præstantiæ. Multos etenim vidimus, nullos non mirati. Testabitur Orbis, dum volumen, quod paras, lucem potiùs præstet, quàm capiat, quantùm in te laudando, ieiunum me præbeam. Ne vllus sententiæ præpositæ, altèque animo insidenti interdicat, dum meminerit Poeticam à priscis aptissimè collatam Lapidi illi, quem ob ingentem vim, Plato appellabat Herculeum, quemque nos magnetem dicimus. Quemadmodum enim ille ad se ferrum trahit, & allicit, sic etiam Poesis quæcumque sibi adherescere, quasi innata vi, nacta est.

Laurent. Landmeter.

Quibus incendi iam grandior ævo
Laomedontiades possit, Nestorque moveri.

Propterea doctissimi Libri tui, cujus licuit nonnulla obstupuisse, neque enim sine stupore, fas legisse fuit, desiderium, & spectationem molestissimè fero. Id medius fidius votum est, vir clarissime, omnium illorum, quotquot, vel Musas amore prosequuntur, vel illarum amore sese dignos præstiterunt. Prodeant ergo in lucem scripta, non temporis brevitati, qualia hodie pleraque, sed quæ sæculorum portent famam, examen subeant, luceantque in æua, sintque *monimentum* nominis tui clarissimi *ære perennius.*

Homer. Odiss.

Ulyssem à Calypso Nimpha dulcibus alloquijs, & cantu sic tractum, canebat Homerus, vt à cunctis alijs adductus Nymphæ soli concentui vacaret: non aliud de tuo præclarissimo opere patitur mens augurari. Ij namque quibus,

vel

vel semel eius moduli sonuerint, iisdem deliniti, veluti aureis catenulis devincti novum *Gallicum* reapse Herculem, studijs alijs posthabitis, insequentur. *Lucian. in Herc. Gallic.*

Perge igitur, ne ætas nostra Græcos desideret Homerum, Appollonium Rodium, Pindarum, Anacreontem, Aristophanem, Euripidem, Musæum, Nicandrum, Opianum, Licophrontem, Alcæum, Menandrum. Tui ingenij floribus, fructibusque gaudens, non iam requirit aurei sæculi Romanos Vates. Habet equidem in te vno cuncta absque vllo nævo veterum decora, venusta quæque priorum. Argutias nullo lycambeo tinctas atramento, sine impuris peligni, vmbrique iocis, acutissimos sales, dictionis copiam, vim, & proprietatem pondere sententiarum, ac gravitate refertam. A tuo namque calamo omnia isthæc dedecora, quibus antiqui Vates Pindum incestarunt, Parnassique venustatem dehonestarunt, quàm longissimè abesse reperio. Hortos, & non Adonidis conspicio: Voluptates video cœlo magis, quàm cœno vicinas. Dum ad Lyrica deflectis, expressum intueor absque Venere Venusinum. Longior sim, quàm animi tui moderatio ferre valeat, si pro affectu, & pro sententia quæcumque subeunt dicenda, verbis expressero. Vive ergo Patriæ, Vir clarissime, viue nobis, æterno nomine viue. Ex hac Societatis Iesu, quam scientiarum nutricem sæpius appellas, Domo, vndecimo Kalendas Augusti anno 1703.

AD PERDOCTVM VIRVM DOM. PETRVM *Paulum Billetum Parisiensem luculentissima edentem Carmina.*

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

O Petrè, celsi carminis artifex,
Unde vnda manat nobilis ingenii,
Totos fluens latè per Orbeis,
Ut patrios, pariter remotos.
Certè vna tellus mox tulit omnia;
Namque illa victrix inclyta Gallia
Fœcunda profectò ministrat
Munera perpetuò canenda.
Misit Philippum è Regibus optimum;
Nullo feroci Marte domabilem,
Natum Palæstræ Martiali
Iura dare, & domuisse monstra.
Hunc nostra Clio sæpius efferet,
Per quem micabit nomen Iberiæ;
Quem nunc silens totus tuetur,
Atque novum stupet Orbis Astrum.
Nunc rore Pindi te bene divitem,
Billete, nobis mittit Apollinem;
Dignum tegi ramis oliuæ,
Castalidumque Choro referri.
Dono sat alto munera pinguia
Non versat amor quærere; sed petit
Audire rursus te canentem,
Teque Lyræ fidicen sonare.
Largita Romæ est antea Bilbilis
Vatem facetiis, & sale nobilem;
At sorte venit melle manans,
Qui Hesperios satiabit agros.

Hic


Hic non profanæ jure licentiæ
Fertur ; sed ornat Calliope decens
Ipsum : venustas , & lepores
Ad numeros veniunt decoros.
Sertum coronet tempora laureum
Eius, qui adauget nomina Phocidi,
Ne fiat vnquam , quod nocente
Fulmineo quatiatur ictu.
Sic perget aptè tradere carmina,
Novis & Auctor lucidus ignibus,
Sic emicans ducet choreas
Orbis Appollinei Magister.

EIVSDEM DE OPERE, ET AVTHORE CRISIS,

EPIGRAMMA AD LECTOREM.

ACcipe jucundos, Lector, sine felle lepores,
Mille locupletes, accipe mille sales.
Quæro, quis est Author? Genitusne in Phocidos antro?
An suxit laticis lac, Helicona, tui?
Si non Calliope , ipsi est docta Lutetia mater:
Jam rogo , qualis erit, cui sit Apollo Pater?
Noui. Nam alter erit Billetus Thracius heros
Mollia , qui reddat pectine saxa suo.

Quidam è Societate Iesu Authori ingeniosissimo, & operi elaboratissimo.



In Authoris laudem, Latio, Hiſpano, & Gallico metro pangentis, & in hoc Volumine Epigrammata, Satyras, & Epiſtolas publicantis,

Lic. D. Andræas Gonçalez de Barcia Carvallido in Supremis Tribunalibus Hiſpaniæ Advocatus.

SI Valeant Latiæ, Hiſpanæ, Francæque Camenæ
  Vitam Neſtoreos ducere ad vſque dies:
Unus, qui Pylii ſuperabis ſæcula penſi,
  Solus apud Vates, ò Petre, dignus eris.
Cui tua diſpliceant, Epigrammata nulla placebunt;
  Nec Vatis, cui ſunt propria iura ioci.
Quique tuas damnet lepido ſermone politas,
  Non Calabræ Satyras tollet ad Aſtra Chelys.
Quæ ſub Epiſtolicis ſerit ars tua ſemina ſulcis,
  Sors eſt à doctæ falce metenda manus.
Scribito: Bilbilicum ſapiunt tua Diſticha Vatem,
  Sic Venuſinigenæ eſt lingua ſequaxque Lyræ.
Æmula Romani eſt tua Civis Epiſtola quævis:
  Multiplici hos ſuperas, ditior ore, Viros.



AD LECTOREM,

PROLOGUS.

Lector, si benevolus fueris, non multis Rhetoricæ floribus vtendum mihi erit, quibus tuam captem benevolentiam, & æstimationem: si autem malevolus, omnem incassum operam adhibuero, qua tuam amicitiam conciliem. Id vnum te scire volo, te severum me non effugere, si doctus tantum fueris; si invidus, me judicium tuum & horrere, & aspernari: si me odio habeas, malequè tantùm ideò de me, & opusculis meis sentias, & judices, me ad sanæ, & integræ mentis homines appellare. Quicumque fueris, saltem fassus eris, vt innumeri fassi sunt, me in hac Prima Opusculorum Miscellaneorum Parte, quam nunc in lucem edo, quæque minori temporis spatio scripta fuit, quàm mandata Typis, ferè omnia Metrorum, & Poematum genera imitatum esse; & si qui de his scriptionibus judicium ferre possunt, sit habēda fides, non impropriè admodum vestigiis purissimæ Latinitatis Authorum institisse. Non in hanc haud dubie sententiam descenderint, qui suis, sæculoque suo invidentes, nihil, præter antiquitatem, magnifaciunt, & mirantur, quasi veteres tantùm, & scribendi arte, & sententiis, & ingenii acumine valuissent. Nimirum, vt veterum sustineant, suorum partes deserunt, immemores illos invenisse, quæ isti

per-

perfecere, innumera autem, hos excogitasse, quæ illi stuperent, si ad nos redirent; verùm amore ne, & studio erga eos id præstant? Nequaquam, sed odio in res sæculi. Si enim tempore illorum vixissent, quod de nostris, de illis haud dubie sensissent, scilicèt vt ab hominum temporis sui sententia, mala fide abhorrentes, veterum semper opinioni adhærerent. Ridiculum sanè, & commiseratione, aut cachinno, quàm stomacho dignius. Sed ad hæc equidem satis luculentè egregii æui nostri Scriptores responderunt, quibus hoc tantùm addidero, eos, similesque eorum, vt qui desperent idem de se dici, vt vnquam posſit, nolle de alijs jactari. Patienter tamen tolerari possent, si arduum, & difficile modo id esse dicerent, sed cum adquiri, & attingi nequire asseverant, rationis expertes se omnibus asserunt. Id vnum restat, Lector, quocumque nomine sis mihi appellandus, vt quæ errata inveneris, præter quæ signata fuerint, excusata velis habere, vt quæ invita omni & mea, & amicorum diligentia irrepserint. Vale, & judicium de quovis laturus, conditionis, & sortis humanæ memento.

PE



PETRI PAULI BILLETI PARISIENSIS SATYRARVM LIBER VNVS.

SATYRA PRIMA.

ALto, cumque graui torperent membra sopore;
Ferre solent qualem nox, aßiduique labores,
Tum Phœbo loca, facundis Musisque dicata,
Quæ docti cecinere Poetæ mente revoluens,
Sic cupidè in somno tunc sum mihi dicere visus:
Hæc oculis, animo quàm grato, quàmque lubenti
Lustrarem, si tanta daretur gratia nobis!
At vix fatus eram, cum se mihi doctus Apollo
Obtulit, & dictis placuit sic reddere nostris:
Quæ petis haud renuo, at mox obtinuisse pigebit;
Utque fidem verbis habeas, iam prospice quæso
Diruta, quæ scriptis remanent loca nomine tantùm;
Inclyta, quæ nobis quondam sacrata fuere,
Et iuga laurigera, & latices sacros Aganippes;
Multus honos olim, quibus at nunc nullus habetur.
Attollens oculos, celsum montemque bicornem
Parnassum prospexi, nec sæuo absque dolore:
Tunc virides lauros, solitas ornare Poetas,
Vilis, & abiectæ aurigarum tempora turmæ
Cingere cognoui, quæ non agitare soleret
Quadrupedum currus, aut iam moderetur habenas
Horum, mos vt erat, cum ludus Olympicus olim

Floreret; ſed quæ genus hoc ignobile tantum
Muſarum regat,& gratos hinc ducat honores,
Cum domini inde decus,modicum non vtile quærãt;
Atque ſuus metam tetigit cum ductor equorum,
Hoſtibus vt victis ſoleant celebrare triumphos;
Semper & anteferant hanc palmam Martis honori,
Indèque, cum dominis, aurigis æqua poteſtas,
Aut ferme,ſi ſpectes,gratia quæ ſit eorum,
Colloquiumquè frequẽs,ſit tamque domeſticus vſus;
Nam proceſsit eo domini dementia cœca,
Et ductoris equi ſimul huc audacia venit,
Ut ſi fortè eadem tunc eſſet veſtis vtrique,
Vix ab hero ſeruum verbis diſcernere poſſes.
O veterum mores! primæuaque ſæcla parentum
Nobilitatis auitæ! O mœſta,& triſtis imago!
Sed mihi lugenti nihil eſt hoc,dixit Apollo,
Si mox,quæ videas,cupies perpendere cuncta;
Stant quæ circa montem nùm palatia cernis?
Perſpicio,reſpondi,ſed luſtrare lubebit.
Sic luſtrare dabo,vt videas à nemine viſus,
Dixit,& arte ſua dedit vt non poſſe videri,
Maior & incæpit luſtrandi ardere cupido.
Quæ,propriuſque forent ædes intramus vterque.
Caſtalidum fuerat domus hæc, (ſic Cynthius addit)
Quaſque vides aliæ procerum, ſed tempore priſco,
Cum noſtri ſtudium ſtaret,doctæque Mineruæ,
Integra dumque maneret laus,& fama ſororum:
Impiger atque domus luſtrans,conclauia cuncta,
Nil vidi præter turpes, ſcurraſque procaces,
Et docti,qui ſemper quemque laceſſere dictis,
Quos mulſere ſuis hodie, diſcerpere mane
Non renuant alibi, ſit eis ſpes dummodò lucri;
Hæc infanda lues omni,quæ floret ab æuo,
Iam viget hoc,& enim multo plus tempore noſtro;
Nec procerum numero adſcribi meruiſſe putabit.
Qui careat lue ſcurrarum, infandaque caterua
Mimorum,quos quiſque manu ampla munere donat;
Doctus Apollinis interea dum friget alumnus,
Incaſum celebrans procerum ſine nomine nomen,
Atque ferens aris indignis thuris odores,

Qui patulo ſtolidi naſo male ſemper olebunt;
Hæc mecum dicenti afflato numine diui,
Plura videbis, ait, nec cauſa eſt vna doloris;
Stipatum famulis dominum modo cernito quæſo;
Illaque crede loqui multos, quæ dixerit vnus.
Sic vt Apollo mihi retulit, tunc figere dicta
Cuncta volens animis, noſtras advertimus aures,
Vtque rudem ſociare ſolet fiducia magna,
Ignaruſque potens ſibi credit cuncta licere.
Iam Ducis Annibalis cœpit, nec belliger ille
Belligerandi artes tamen, inſimulareque lapſus
Scipiadam victorem, nec damnare recuſans,
Et quoties, & quomodo dux peccaverit ille,
Dicere non dubitans noſtri damnaverit ævi,
Quoſque duces præclaros, vixque pepercerit vlli,
Et præeſſe phalangi, ſi ſibi cuique daretur,
Vel modicæ, queat innumeras delere catervas:
Tum famulos teſtes fidos dicti addidit ille,
Aſſenſu ſolitos dominum laudare ſuperbum,
Perdere quàm victum, ſtulto qui plaudere malum;
Aut ſtulti quoque, qui gaudent attollere plauſum:
Belligeri placuit tunc vt deponere laruam,
Iam Reſpublica, ciuiliſque ſcientia voces,
Quam dedit amentes, & quàm moderaminis orbas?
Haud Patriæ gnatum, puduit non plurima fari
De quavis alia, cenſuſque, referreque vires:
Tùm numerat Cives, Portus, Vrbeſque potentes;
Dixerit & Claſsis ſit ne iſta potentior illa:
Et ſemel obſeſſam debellatam aſſerat Vrbem,
Quemque velit proſtratum, tuncque ruiſſe putarit.
Mox o dij ad pondus, mox geſta ad pondus amoris,
In trutina pendit, nec vero conſulit vnquam,
Cuius & ignarus, doctus tamen eſſe repugnat,
Nobile non reputans in rebus vertere ſenſum,
Cunctaque cum mirarer, ſic mihi dixit Apollo:
Hoc odium noſtri facit, hoc & nulla ſororum
Sollicitudo, etenim noſtri ſi cura maneret,
Quæ lateant illum facile cognoſcere poſſet.
Tunc tacuit Pater, atque aperiri vt vidimus illic
Ædes doctrinæ claras, ſacroſque receſſus,

In quibus & viuunt inuita morte rapaci
Scriptores veteres, alij quoque temporis huius;
Dicere sic placuit: Precor, huc intremus vterque;
Et numerum miratus, cur cedo, Phœbe queraris,
Scire velim, docta vndique, totque volumina cernens;
Vnde patet magnusque tui, cultusque sororum;
Delius at risit, tunc dictaque nostra retrusit:
Ignotus planè, & languens hic adstat Homerus,
Qui cupit exolvi, & queritur de carcere duro:
Hic iacet Euripides Tragicus, iacet atque Sophocles;
Pyndarus & facundus, tum quoque Lesbia Sapho;
Cætera Græcorum iacet hic quoque docta caterva.
Hic Naso iacet, hic marcescunt scripta Maronis,
Tibullus quoque, Flaccus & haud lectus satis vnquam;
Illecti remanent, domino nec nomine noti,
Bella canens iacet hic multum, inuisusque Neroni
Et Tragicus Seneca, & Mordax Nasutus Aquinas,
Tum Plautusque Iocosus, necnon Comicus Afer.
Ne referam plures, aliorum turba Latina
Scriptorum iacet hic immundo in pulvere multo;
Hic præclara iacent æui monumenta vetusti,
Annales docti, quibus etsi tempora longè
Præterita, esse tamen nobis præsentia possunt.
Inde precor videas, quæ sit reverentia nostri,
Quis sit amorque Minervæ, quis cultusque sororum;
Quod si quæ retuli, licuit tibi nuncque videre,
Non satis esse queant, superest hæc causa doloris,
Cernere quam poteris, nunc cernis vt hoc in equili
Mularum stabulo, hæc tribui si nomina possunt,
Pro tremulo hinnituque sonoro rudere tantùm,
Semper vbi raucosque sonos audire valebis,
Atque manu videas mulas mulcere Dynastam,
Voceque blandula vbi compellet nomine quamque:
Hæc rufa, hæc cerva, hæc volitans, alacrisque vocatur;
Hæc morosa, ducis quoque nomen & obtinet ista,
Innumeras tibi, si libeat, tunc nomine signet:
Atque manu nitida renuat non pabula ferre,
Et gelidos latices potandi cumque feruntur,
Immissis manibus nonnunquam temperet ipse,
Inque diem, qu æuis fuerit, si languida morbo,

Ter, quater, & descendat tantùm invisat vt illam:
In lecto famulus, nec visus, dum iacet æger
Sæpè, nec inquirat peius, melius ne sit illi,
Dignus at invisi, licèt & sit noster alumnus;
Quemque ego visam, conveniant castæque sorores;
Hoc decus haud nobis, honor hic mulabus habetur,
Hicque vigent illæ, languens dum Pegasus illic
Ingemit, & frustra, atque suæ flet dedecus vndæ:
Hi procerum mores, hæc est & formula vitæ,
Qua ruit imperium, perit & nostra inclyta proles.
Porticus hic ruit! hic iacet heu doctumque Lycæum:
Docta Academia tot sapientum clara virorum,
Innumeros sedes steterat, quæ culta per annos,
At dum staret amor nostri, studiumque Minervæ,
Præmia doctrinæ, & starent virtutis honores,
Æmathius iuvenis docti cum nomine clarus,
Non minus Aonidum ambiret, quàm Martis amorem;
Scriptis cumque suis gauderet vincere Cæsar,
Innumeras laudes laudato Alcide mereret,
Carminibus tragicis caneret, prolemque Iocastæ,
Atque loquendi haud dedignatus tradere normas;
Grammaticæ palmam gestiret iungere lauris,
Doctaque cum soboles premeret vestigia gressu,
Omnibus inque fere illorum foret æmula virtus;
At nunc :;::: Plura mihi fuerat dicturus Apollo,
Murmur at insanum molles vt verberat aures,
Excutitur somnus, dulcis vanescit imago.
Dixerat vt Phœbus, tunc cœpi visa dolere,
Obstupuique referrent, quod mihi somnia verum;
Lugebam vigilans satis, & quod sæpe videbam,
Mille modisque fui miratus Apollinis artem,
Nominibus fictis, & qui sub imagine falsa
Insanos proceres huius sic luderet æui
Plures, & fatuos mores sic carperet horum.

SATYRA SECVNDA.

MOs tibi cum Satyras mordaces non foret olim
Scribere, nunc vnde afficeris prurigine tanta?
Dilectus multis, invisus cuilibet esse,

Sci-

Scilicèt exoptas? Nequaquam. Quid petis ergo?
Sic rogitas? Facile ſic reſpondere valebo,
Non hominum, vitij ſed qui fuit oſor iniqui,
Perpetuò horret amorem, odium ſpernitque malorum:
Flaccus vt eſt mihi lectus, vt eſt & Perſius olim,
Et mordax ſimul, & doctus facundus Aquinas,
Præteriti vitijs collatis, huius & æui,
Lætabar ſæclo, grateſque referre lubebat
Noſtro quodque forent culpæ, noxæque minores;
At veterum labes nunc ſi conferre velimus
Cum noſtris, iuſti mores, ſanctique fuere
Illorum, venit & ſcribendi hinc noſtra cupido,
Damnis, non quod ſit noſtris ſpes vlla medendi,
Dulce tamen quod ſit, quæ haud emendare valemus;
Vel dictis carpendo, crimina plectere quæque,
Et ridere ſimul quoque, quæ ridenda videntur.
Nam ſe contineat, quis erit, vel lenior ille
Sit, licet & Satyras renuat, qui ſcribere diras,
Cum Criſpum videat diuinas ſpernere leges,
Coniuge qui ducta, prius ablataque marito?
Sic ad nos miſeri Oenobarbi fata reduxit;
Hoc at in Auguſtum tamen auſus vincere culpa;
Quod foret vxori multo iam ſanguine iunctus,
Criminis atque reus, ſic duplicis eſſet in vno.
Quis taceat Rufum, qui ſpreto juris honore,
Legibus & ſpretis, alia qui coniuge rapta,
Huc, illuc petulans, ſecum perduxerit illam,
Sitque ſtupri impuniti auſus cantare triumphum?
Sic que ſolent cuncti pœnas ridere potentes,
Crimine qui magis exultant, quam ſanguine clari:
Intereà minimè pauper cum peccat inultus,
Aut ſecùs acciderit, ſi forte hoc tempore noſtro
Iudicis hoc tamen, haud illi clementia præſtat,
At magni dederit tantùm tutela patroni,
Iuſtitiam exoſus, qui crimine gaudet inulto.
Quis tacitus tolerare ſuperbum poſsit Agauum,
Qui ſibi cum reputat quemuis debere ſalutem,
Tumque ſalutatus multis, nullum reſalutat,
Infixus rhedæ, atque ſui effigies videatur,
Incedens tumulus, quam ſemper geſtat inanem?

Quis

Quis toleret Vallam iactantem nomen auorum?
Dum præstat nihil, vt tanto sit nomine dignus,
Et census simul, illorum quoque perdit honorem;
Tunc audire, precor, quis poſsit ludere Firmum,
Qui non soluendo, reputat seruare pudorem,
Aut potius pudor est forsan cui nomen inane,
Et cui iure queat præponere commoda quæuis,
Cuius & exemplo multi peccare docentur?
Quis sileat Glaucum cumulantem fœnore questus,
Vsurisque suis, superantem Plebis auaræ
Quosque modos, misero doctum nec parcere ventri,
Quique sui tortor, sic pœnas exigit ipse,
Iustas? Diuitijsque potens, nam dum sitis vrget
Dira parandi alias, partis non vtitur ille,
Nec videt hæredi se sæpe mouere cachinnum,
Qui sudore graui eius lætaturque labore,
Quo fieri ditiſsimus, & sine crimine poſsit?
Cuncta tamen nugæ sunt hæc, si cætera spectes,
Scilicèt, vxori castæ cum miscet adulter
Toxica, tuncque nefandam vt poſsit ducere mœchã,
Quæ non docta semel tædas fœdare iugales,
Criminis esse nouo renuet non crimine vindex,
Artibus atque malis sponsam, quibus ille peremit,
Cras occidet eum, si plus arridet adulter.
Quid si subque dio perimat Sicarius audax,
Vitor & offensæ, læsus, qua non fuit ille,
Cuique necis causas mens tantum præbet auara?
Percussor tectus manet, & dum criminis author,
Vix tectum nihil in terris cum manserit vnquam,
Quod gratum fuerit simul & reserare necesse;
At reus ille potens est, nobiliorque perempto,
Criminis hoc satis est, speretur vt vltio nulla.
Quis ferat & iuuenem præclaro sanguine natum,
Cum Populi fœce in lusu consumere noctem,
Quique meri cyathos, petulãs dumque ebibit amplos,
Sordibus infandis decus his deformat auorum,
Gaudet & insanus tunc non meminisse parentum?
Quis sileat Tuscam cupientem casta videri,
Desinat & turpem cum non inuisere Gallam,
Amiſsi quam vix credo meminisse pudoris,

Quæ gestuque suo exoptat lasciua putari,
Et quærens bona, quæque malis, & crimine nomen,
Pœnis pro meritis magno nunc turget honore?
Et quis, vel patiens, possit compescere vocem,
Cum dici non Tulla recusat amica Mathonis,
Aut cum cœca putat se nullo crimine læsam,
Vna domus sibi, quod non sit, nec lectulus idem?
O male suada voluptas, atque dolosa cupido,
Qua semel excæcati alios cœcare putamus!
Sed pudor vt perijt, perijt concordia sacra,
Inuenietur nunc Pylades, nullus nec Orestes,
Pyrithous nullus, nec Pyrithoi comes acer,
Alcides nullus, nullus nec fidus Achates,
Illorum inque locum multi inueniuntur amici
Nomine tantum, reuerà sed prodere docti.
Inuidus è fortunis hic deturbat amicum,
Laudis sub specie maledictis vellicat iste
Sæpe suum, spem pollicitis hic ludit amici:
Sectaturque sibi hic, alter quæ commoda quærit,
Iurataque fide arcanis sacris & abutens
Commissis: Fauet hic felici; moxque cadentem
Riserit: Hi nostræ sunt tempestatis amici,
Ne referam plures, quos non meminisse iuuabit.
Artifices ecquis possit tolerare superbos,
Sæpius incerta, aut qui vili ab origine nati,
Se iactent tamen ex præclara stirpe creatos?
Quis mercatores taceat, quos nouimus omnes,
Qui nunc diuitijs mutata sorte priori,
Maiores numerent, illustria stemmata prodant,
Iam titulos ostentent nobilitatis & emptæ?
Nulli opulento, quos renuat fecialis auarus,
O venerandi semper, at hoc multo magis æuo,
Nummi, qui datis hæc, quæ non tribuere parentes!
Quis rhæda vectum Marthonem animo ferat æquo,
Ædificare domos, lapides doctumque secare?
Quis gnarum condire dapes videatque Magærum?
Quisque Milonem olim solitum deducere riuos,
Quis vectos rhæda videat, nec surgat in iras,
Digni cum plures vti illa lege vetantur?
Hoc nummi faciunt, illis est empta potestas,

Hac

Hac verò careant, quibus auri copia non est;
Aut qui, quæ mereant nummis, hæc soluere nolint.
Et stomacho sine quis, sponsam consumere censum
Coniugis audiat, vt posſit contendere luxu
Cum quauis alia, quæ nec vulgare pudorem
Tunc timeat, nisi sit census satis ille mariti,
Seruiat vt genio, queat & dum compta videri?
Quis taceat socrum, atque nurum, dum iurgia miscent,
Et causas odij quis tot numerare valebit?
Hirtum quis toleret, sua qui dum carmina laudat,
Cætera vituperet, quæ tùm recitauerit alter,
Aut laudans, si iam mens veri conscia cogat,
Inuidus authori tamen, haud adscripserit illa
Nescius, atque ab eo contexta fuiſſe negabit,
Vatis & exemplo, si Mecœnatis amici
Huic lyricum carmen facundum fortè legatur;
Respuit, & numeros, quos nunquam legerit ille,
Increpat, & mox, non redolent hi (carmina) dicit?
Redditur hic odis honor, ò venusine Poeta!
Et tibi dilecti, tua qui vexilla sequuntur,
Non Satyras scribent, poterunt compescere bilem?
Hermem quis taceat, qui clara ab origine ducit
Ortum, commentisque magis, quàm sanguine notus,
Qui studet vt tantummodò verbis fallere posſit
Quemuis, & probitatis tandem oblitus auorum,
Qui videatur nunc tantùm meminiſſe parentis,
Et vellet fieri (si poſſet) nequior illo?
An taceam, precor, admittit, quod lictor auarus,
Quærere qui victum, haud posſit cum crimine vero;
Improbus haud timeat falsum tunc subdere cuique?
Scribas an sileam tabulas corrumpere doctos,
Et gnaros imitari mox chyrographa quæuis,
In quæcumque velint testes adhibere paratos?
Carpendus ne parens fuerit stultisſimus ille,
Qui parcens opibus, non dignos prole Magistros
Quærat, & exutam sobolem virtute relinquat,
Corporis impensa vesti dum prospicit omni
Materiam pudeat, quem non præponere forma?
Num carpendus eritque pater, licèt haud sit auarus,
Qui decet vt puerum, non artibus imbuat illum?

Digladietur vt, vt ſaltandi ſitque peritus,
Ludere tumque pila, ſciat atque agitare volucres;
Quadrupedes rectè, & ferrata calce fatiget,
Dulciſonam Cytharam vt fiat perſtringere doctus;
Sumptus non tenuis, tum maxima cura adhibetur:
Quæ bona cum ſint, hæc nemo contemnere debet,
Aſt ille hæc propter contempſerit optima quæque
Ad corpus ſpectant quæuis ediſcere præſtat,
Quæ ſpectant animam cuncta ignorare iuvabit,
Nil refert puero, quod ſit vernacula lingua
Tantùm, namque parenti hæc eſt præſtantior vlla
Cum Gallo, Germano, Troiugeniſque Latinis
Ignarus, nil refert, ſitque ſilere coactus.
Noſtratem linguam diſcat, qui venerit iſtuc.
At Sophiæ ſtudeat ſaltem, tunc addit amicus:
Non eget argumentis dicere, qui volo poſsit.
Sit Rhetor, nec Rhetor, *non vult eſſe Patronus.*
Orbem terrarum ſcriptis nec noſcere diſcat?
Sat fuerit ſua, ſi belle modo prædia noſcet.
Ille mathematibus ſtudeat, tunc vrget amicus;
Tum ſciet ille ſatis, cenſus ſi mente tenebit
Venditor haud deludat, decipiatve colonus,
Stulte parens, pueros cur te genuiſſe fateris?
Informem ſobolem tua dum ſocordia præſtat
Urſa, quid facias fruſtra erudiente Magiſtra.
Ecquis auarum tandem non irrideat Album,
Cum queritur, Blæſo quod nunquam munera donet?
Audiat ignarum quis & immotoque cachinno,
Cum quouis audentem iam contendere docto,
Et minus, atque minus, qui tum ſe ſcire reuelat,
Enucleare velit quo plus, quæ neſciat ille?
Et ſtomachum moueat noſter num Muſicus Hæmo,
Demiſſus fuerat, qui paupertate coactus,
Arte ſua ſibi vix cum ſuppeditare valeret,
Nec victum, nec veſtem: tunc optabat amicus,
Cuius vis dici, aſpice nunc vt deſpicit omnes,
Quos & amore prius, magnoque colebat honore,
Diues vt eſt factus, turget grauitate ſeuera,
Ut paribus ſolitus quoque iam magnatibus vti,
Vulgares hodie, & tritos faſtidit amicos,

Et magni petulans, vt amici limina pulsat,
Panduntur, secreta patent conclauia quæque,
Doctrinæ venerandæ, dum claræque Magister
Hæret, & expectat, vix tandem intrare iubetur,
Scilicèt, ò vecors! feriunt & mollius aures
Ignaræ, quam perdoctæ modulamina vocis,
Imbellique liram perstringere pollice mauis,
Quàm cithara mentis concentus edere doctos.
Opprobrium rides? Irride, audique Philippum,
Æmathium puerum, qui verbis increpat istis:
Num pudet (inquit) te, quod sis cantare peritus?
Rides nunc rogito? audebis damnare Philippum?
Ut pudor est, illum non condemnare recuses,
Nam quod aduletur, tibi tumque bonum reputatur,
Consilium placet, & dicis, bene consulit istud,
Quæ non blanditur, sententia nulla placebit.
Cur precor, at miror, quod sit grauis, atque superbus,
Aures qui fidibus noscat mulcere canoris,
Bardulus edoctus tantùm cum radere barbam,
Vulnera factus curandi è tonsore Magister,
Incedat tumidus, sit nuncque superbior vllo,
Vix tandem resalutet, vix motoque galero?
Omnia sed potius numerauero sydera cœli,
Nostri quàm possim vitia æui cuncta referre,
Inque dies fiunt peiora vt tempora nostra,
Bili perpetuo nostræ fœcunda manebit
Materies, alijs quoque condemnanda Poetis.

SATYRA TERTIA.

EN Iterum, atque iterum mores nunc carpere sæcli
Aggredior nostri, dicturus nec satis vnquam,
Brachia centimano quot erant, si tot mihi linguæ
Essent, materies etenim nunc tam scatet ampla
Nobis, vt fatear, scelerum me pondere pressum.
Ast aliquis forsan, moueat te causa medendi,
Quæ cedo? Nulla quidem, medicamen cum sit inane,
Multoties tamen, vt dixi, nos sæpè iuvabit,
Criminibus saltem dictis infligere pœnas,
Cum tacitis non decernant legibus vllæ;

Aut maneat, quamuis statuantur, crimen inultum;
Vnde malum duplex, atque vnde irrisio legum,
Et spernenda simul Populis, nunc vana Potestas.
Nam quis non videat Polyphemum temnere iura,
Diuitijs innixus, qui ditioneque fretus
Inuito Domino, rem pupilli occupat usque,
Et iussis iteratis non obtemperet vnquam?
Num leges ridet paritèr, qui mittitur exul,
Et simulans discessum, non tamen Vrbe recedit?
Criminibusque nouum sic audeat addere crimen,
Qui delusa pœna, quique audacior inde,
Ad noua semper erit promptus, semperque paratus
Crimina, quæ sit enim, quæso, mensura malorum,
Cui pœna peccatum non rescinditur vlla?
Legibus illudit nunquid, qui lusor iniquus,
Fraudibus infandis alijs, cum subripit aurum,
Tum grauius peccat, quàm vi, si tollat aperta?
Alter vim illatam cum sæpè repellere possit,
Incautus nequeat cœcas vitare latebras.
Hic solitus noctem, atque diem consumere lusu,
Quas sudore pater multo quæsiuit auarus,
Imprudens deperdit opes, mox ille daturus,
Quas mereat pœnas, qui paupertate nefanda:
En pereo, succurrite, dicere sæpè tenetur,
Aut sors si faueat, si sit fortuna secunda,
Tunc alij pereant opus est, vt viuere possit:
O decus æternum, & præclaro nomine dignum!
O titulum cèlebrem, dignum inscribique sepulchro!
Hoc iacet in tumulo tàm doctus ludere lusor,
Vt nunquam fuerit lusus certamine victus,
In somnis ludens, qui nocte, dieque sedebat,
Nec moriens, vitæ, at lusus finem tulit ægrè.
Hi fuerint pueris obiens, quos linquat honores,
Hæc illis dederit clara exemplaria viuens.
At plures pestes aliæ, & nocuæ magis Vrbem
Vexant, qui similes erga specie sub amoris
Nomine, & auxilij, simulant quos velle leuare;
Viscera dirumpunt horum tunc fœnore diro,
Nam modus vsuris, lucro nec cernitur vllus;
Et sua quærenti nunc illis commoda cuique,

Est

Est pro lege voluntas, pro ratione cupido;
Fœnora nam dira exercens sic dicet egeno:
Ni mihi vasa dabis, nisi des pro pignore gemmas,
Auxilium nullum, dabiturve pecunia nulla,
Tricenos mihi pro centum expediat dare nummos,
Insuper vsuras in mensem soluere quemque:
En denos dederim. Minimè. Non addere quinos
Sufficiat? Nec vicenis, si adiunxeris illos.
Quid faciat miser, immanis quem vexat egestas?
Plus si poscit auarus, non dare plura recuset,
Et præsens damnum fugiens, non ille futuro
Prospicit, excidijque sui fit conscius ipse.
Hanc sed grassantem sequitur contagio labem,
Hæc non dira minus, plebique infestior vlla,
Qui lucro ducti rerum monopolia tractant,
Fit quorum vitio sterilis fœcundior annus,
Et pretiosa simul fiunt vilissima quæque,
Num meritis verbis secter nunc quodque Tribunal,
Nomine quod meliori dixeris esse tabernam,
Instar vbi mercis prostant venalia iura,
Est vbi nomen inane suum nunc reddere cuique,
Ast vbi cuique suum tollendi præualet vsus,
Siue reo, siue actori Iudex sit amicus,
Possit vter sine iure, suam tunc vincere causam;
Si neutri faueat, tamen hic modo victor abibit,
Qui potiori illum possit corrumpere summa.
Vlla pecunia, num quæso, satis esse valebit
Litis ad impensas, possitve explere Patronum?
Iudiciaria fac toleretur sportula nobis,
Solvere si iubeas duplum, iam cuique placebit,
Sed litis fraudes animo quisnam ferat æquo?
Cœpta semel quibus in multos producitur annos,
Decisam nequeant quam sæpè videre nepotes:
O sanctas leges merito, quæ fallere iure
Nunc dedere! O priscis dignissima tempora sæclis!
Cernimus in causis non tantùm iura perire,
Rebus at in cunctis omnis peruertitur ordo,
Doctrinà, aut armis meritis non dantur honores,
Quique gerat melius tribuuntur munera raro:
Obtinet at semper melius, qui soluere possit,

Cuiue

Cuiue fauere velit magni ſemel aura Patroni,
Sic fauor, aut nummi virtutis præmia donant;
Inde fere nulli ſtimulus, ſocordia multis,
Semper & vnde ſimul cunctis præeſſe videmus
Fortibus imbelles, ignaros tumque peritis.
Carmina ſcribendi ars dicta olim ſermo Deorum,
Laudes egregias, quæ tot meruere Poetæ,
Principis atque ſui meruerunt nomen amici,
Spernitur innumeris, & vix cognoſcitur vlli,
Indeque contemptus, fieri nam quomodo poſsit,
Vt ſciat ignotas aliquis res pendere magni?
Quis Rufum, cedo, crediderit cognoſcere verſus,
Qui modo, quæ referam, docto dicebat amico:
Dotibus egregijs cupias ſi cultus haberi,
Hoc facile obtineas, ceſſes modò condere verſus:
Audiat an, quæſo, dicentem talia quiſque,
Atque viri ſpecie indutum non rudere credat
Turpem aſinum? Tamen hic eſt nobilitate verendus;
Forſitan hoc ſolum Rufum ſentire putabis:
Falleris. Heu multi ſunt noſtro tempore Rufi!
At Muſis honor intereà dum nullus habetur,
Frigore dumque rigent inculta altaria Phœbi,
Quem peperit Cronis genitum de ſemine magno,
Aſpicit imperio gaudentis prolis honores,
Diuitijs, quæ nunc præ cunctis turgida floret;
Nec mirum, ſit in hos amor, & reuerentia tanta,
Inueniatur enim mens quædam neſcia quantum
Cordibus in noſtris valeat ſpes alma ſalutis
Ægroto medici ſperet, quam reddere poſſe?
Iactitet vt quiuis nunc ſe medicamine doctum
Oſtia claudere lethi, & portas pandere vitæ,
Fas quod credere ſit, ni dictis facta repugnent:
At ſecus ac dicunt, & ſi hos præſtare videmus,
Inuita ratione tamen ſic præualet vſus,
Vt licèt auxilio illorum ſine viuere poſsit
Quiſque, mori tamen auxilio ſine cuique negetur,
Criminis atque reos omnes occumbere credant,
Lumina, qui ſua claudunt horum haud arte perempti.
Dixerit aſt aliquis mirum, cur ergo videtur,
Quod faciat præſens, primum quod præſtitit æuum?

At nego sic nostros primos vixisse parentes;
Namq́ manus medicas sibi quisque adhibere solebat,
Auxiliumque suum solum quærebat in herbis,
Prouida quas gratis natura inculta ferebat:
Accedebat ad hoc Veneris moderatio magna,
In que cibis fuerat sumendis rarior vsus,
Nunc autem magni venduntur pharmaca nobis,
Quæ mortem vulgò, portantque leuamina rarò;
Scilicèt vt pretio posſimus cedere viuis
Maiori, pluris constet reuocare salutem.
Corporis eximios cultus quis ferre valebit
Non exculta manet dum mens virtutibus vllis,
Oracli quem vox sapientem censuit olim
Præ cunctis, mortem damnatus obire cicuta,
Hoc valuisse suo vitium, qui luxerit æuo,
Num lachrimare magis posset, si cerneret ille,
Quàm pauci sint, vel nulli virtutis honores,
Quàm pretiosa domus sit cuiuscumque supellex;
Intereà scateant animi dum sordibus ædes,
Dum claris animus non splendet dotibus vllis,
Mortiferis fœdatur, dum vitijsque nefandis,
Et satis esse putat, lautè si viuere detur.
Sint plures famuli modo, dum sit splendida rheda;
Ducere, qui vehitur dominus cum dignior esset.
Inter eum, brutumque animans discrimina cum sint,
Nulla ferè, nisi quod rudant hæc, ille loquatur:
Per calles graditur, videas vt turgidus auro,
Pro meritis tantùm, quod ei reliquere parentes,
Quod perdat breuitèr, fuerit si prodigus ille,
Quove frui nequeat, vel rarò, si sit auarus.
Inscius at diues, si sit grauis, atque molestus,
Quis tolerare queat gnarum, doctumque superbum;
Qui nixus doctrina, nobilitateque fretus,
Quæ dicant alij, moroso respuit ore,
Quæ paritèr scribant, nunquam damnare recuset,
Tumque super quauis re, si in contraria mentes
Versentur, iubeat sua sit sententia prima,
Siue super quauis alia, quod sentiat ille,
Dixerit, haud leuitèr lædat quicumque repugnet,
Quem fieri magni cupiat, magni sit habendus,

Aut

Aut flocci faciendus, quem despexerit ille,
Norma quasi cunctis in rebus debeat esse
Illius arbitrium, velit esseve formula cuiuis:
Sic Crispus claris non cedens dotibus vlli,
His bene si vtatur cunctis, qui possit amari,
Si cupiat cunctis, pluris qui possit haberi,
Nunc odium cuiusque, modo risum excitat in se,
E sudore suo fructus si cœperit illos,
Præmia si studij sint, hæc mercesque laboris,
Utilius multo nihil illi scire fuisset:
Dicito namque precor quid quæque scientia prodest,
Si nobis odium, contemptus & inde sequatur?
Est grauis & ridenda simul doctrina potentis,
Prouida cui comes esse queat prudentia nunquam,
Quamque ferè semper comitetur cœca voluntas:
Ambitio tamen est præ cunctis digna cachinno,
Aut potius lachrimis erit hæc dignissima nostris,
Quisque suo nostrum qua maturare videtur
Exitium, rueritque modo qua hæc machina mundi,
Haud minus hic elatus, quàm Clymeneia proles,
Regales cupiat Phœbi conducere currus,
Exterrent nec adepti olim Phaetontis honores,
Plurima notescunt, quorum nunc flumina casu;
Velivoli maris imperium cupit alter habere,
Illi cum pelagus tantum sit nomine notum,
Nesciat & ventos quot miserit Aeolus antro,
Et quæ signa valent vndis inferre procellas;
Nec formam lembi fortasis viderit vnquam.
Munus & hic cupiens summi Rectoris Olympi,
Orbem terrarum trifido qui fulmine terret,
Ediderit strages castæ quas Virginis arcu,
Peruigil in syluis legeret cum signa ferarum,
Auxilio Mauortis iam meditatur in hostes.
Quod cupiant, nihil est, at votis sæpè fruuntur,
Cunctis vnde stupor, damna vndeque maxima nobis;
Dedecus vnde illis, & paucis causa dolendi:
Nam quis erit, quæso, qui possit amare superbos?
Qui ventis dum fortuna inflat vela secundis,
Muneribus gratis sibi nullum obstringere curent,
Non alijs quasi natus homo foret, at sibi tantum,

Aut

Aut amor in ſimiles legis iuſſum eſſet inane;
Rebus in humanis quaſi fortuna æqua maneret,
Nec docti poſſent alienis eſſe periclis.
At cœco errori quiuis ignoſcere poſsit,
Haud bene cum faciant, nollent ſi ſæpè nocere,
Quod præſtant plures, noſtroque frequentius æuo.
Intercedat enim facito nunc vtile quodvis,
Integra iura, precor, maneant quæ fœderis almi?
Quænam tuta fides, aut intemerata videtur?
Quidve iuvet quemuis? cui ſit cognatio grata?
Sanguine qui iuncti ſunt, cum ſint prodere factis,
Aut dictis cognatos ſæpè laceſſere docti,
Ut laus imminuatur, vt imminuantur honores,
Quid non aggrediatur enim liuore laborans?
Quid non mente reuoluat, quidue relinquat inauſum,
Tabida cui ſemel hæc rabies abrupit amoris
Vincula, quique ſibi tantùm modo conſulit vſque?
At tantiſper ab his oculos reuocare libebit,
Namque iocoſa placet dictis attingere noſtris,
Quæ recreare queant, noſtrumque mouere cachinnũ:
Abſtineat quis enim magnos attollere riſus,
Audiet ille ſemel ſi ſe iactare Mathonem,
Virgilium calamo, & cantu ſe vincere poſſe,
Mantua cum nihilum dederit ſolertius iſto,
Altera nil dederit nobis inſulſius illo.
Quis teneat riſum, Criſpus cum coniuge gaudet
Caſta, munera peccati, quæ donat adulter,
Callida ſuppoſitæ, quæ tunc adſcribit, amicæ?
At ſi tanta mouet riſum fiducia nobis,
Num ſtomachum paritèr noſtrum iam concitet ille,
Non diris tantùm verbis, ſed verbere dignus,
Vxoris culpæ fuerit, qui conſcius atræ,
Et ſemper ſtimulos peccanti adhibere paratus,
Nauſea nec leuis eſt nobis, cum nomen auorum
Jactitat hic natus clara de pellice quondam,
Noxa quaſi matris ſplendorem haud deleat ortus,
Clarior atque foret quauis hæc pellice pellex;
Clarior aut quæ ſit, non ſit modo crimine maior,
Carmine quod referam, cecinit quod noſter Aquinas,
Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe,
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

At ſpurio detur clara de pellice nato,
Quemque pater genuit præclaro ſanguine natus;
Poſſe ſuos maiores iactare ore ſuperbo,
Cur verò illuſtri ſe iactet origine natum,
Hic ſpurius genitum obſcuro quem ſanguine ſcimus;
Et cuius mater vitio ſit cognita tantùm:
Vt falli ſimulat, num quemuis fallere credat,
Aut generis cunctos oblitos eſſe putabit?
Aſt alio curſum placet hinc contendere noſtrum,
Quàm citiuſque loco noſtro decedere præſtat.
Splendida nam venit hac fallacis rheda miniſtri,
Quem famuli comitantur ieiuni agmine multo,
Quoque regi videas magnum, clarumque Tribunal,
Motibus infandis animi cum obtemperet ipſe,
Seruiat vtque gulæ, vt Veneri det colla nefandæ,
Haud opibus pareat lauta, & patrimonia perdet,
Incaſſum precibus ſoluat dum creditor vrget.
Alter at inſanus multos qui vixerit annos
Ad numeros ſaltat nunc, & modulamina diſcit
Fallere qui magis eſt multo, quàm pſallere doctus,
Fallere ſugentem vbera quem natura docebat,
Temporis vnde fuit noſtri fallacior vllo:
Se tamen Æmilij credat cognomine dignum,
Et decoris quoque qui valeat præſcribere leges,
Nullus quippe reus fuerit ſe iudice tantum,
Et tacita quamuis ſudent præcordia culpa,
Æquus haberi vult, cunctis vult ſeque probare.
Plautia ſicque Nigro haud pridem quæ nupſit auaro,
Verius vtque loquar, potius cui nupſerit ille,
Moroſæ vxoriſque iugo, qui ſubdere colla
Non renuat, poterit tantùm ſi ditior eſſe.
Hæc dominæ iura affectans, non coniugis æquæ,
Seruum crediderit, non autem emiſſe maritum,
Nec peccare putet, credat ſed munere fungi,
Si toruis oculis; facie ſemperque ſeuera,
Intueatur eum, verbis diriſque laceſſat.
Sponſus at eius erat quondam, qui pauper auarus,
Diues vt eſt factus, magis eſt nunc ſordidus inde
Non damnare prius tantum contentus auaros,
Vſque ſuis illos magnis nunc laudibus effert,
Remque tuens ipſam tantummodò nomina mutat,

Sordidius viuet, fuerit qui parcior vllo:
Sobrius hic illi, & tantùm frugalis habetur,
Sic ſine fama, infami vel cum nomine viuit,
Intereà acta placent, pudeat quoque vertere ſenſum;
Falli tumque putet, qui non aſſenſerit illi.
Diſsimilis ratio Brennum caligine cœcat,
Munifici titulo, deperdit cum bona cuiuis
Immerito tribuens, ſua nec dum nomina ſolvit.
Contentus plauſu ſcurræ, & fœdi paraſiti,
Qui lucente die, ſi tùm noćteſcere dicet,
Dumque gelu riget Orbis, mittere fulgura Cœlum
Dixerit, illicò ſint eadem affirmare parati.
O cœcos homines! ratio quodnam decus affert
Nobis, vnde animis ſit tanta ſuperbia noſtris?
Illa libidinibus cum ſæpè remittat habenas,
Aut harum nequeat ſaltem cohibere furores,
Nec minimas animi labes detergere poſsit.
Quippè licèt nobis donata ſit omnibus vna,
Qua ſpecies hominum merito præponitur omni;
Attamen haud cunćtis idem conceditur vſus,
Vnde quidem plures orbi ratione videntur,
Sub ſpecieque hominum, brutorum nomina ſeruant.
Aſt alios, aliaque via inſanire videbis
Non etenim cunćtis eſt ſtultitiæ modus vnus,
Inſanit Capito, greſſu, vultuque ſeuero,
Atque tumens aliorum, qui conſortia vitat,
Præ cunćtis reputans ſapiens, & dоćtus haberi,
Nec fuerit Balbus noſter ſapientior illo,
Qui laudis cupidus quærit conſortia quæque,
Plaudere dumque ſibi fundenti carmina geſtit,
Verba tonantia, quæ patulo vix fuderit ore,
Ipſe ſuo properat primus celebrare cachinno,
Sint inſulſa licèt, ridendum ſe que propinat,
Dum rident alij, tantum quod rideat ipſe.
Sydera ſed citius nitidi numerauero Cœli,
Quàm labes animi cunćtas attingere poſsim,
Aut calamo noſtri vitia æui cunćta referre.
At ſatis immenſum, tumidumque cucurrimus æquor,
Iam tempus fuerit noſtros adducere remos,
Et placidis auris ad portum appellere nauem.

ELEGIARVM LIBER VNVS.

IN OBITVM NOBILISSIMI FRANCISCI de Castro, in Namurci obsidione occisi.

ELEGIA PRIMA.

QVæ veterum seruas monumenta illustria rerum,
Et maneant semper, quæ bene gesta facis,
Iam, precor, aspira Clio, cœptisque faueto,
Tu menti faueas, Melpomeneque precor.
Non ope vestra egeo, nunc cætera turba sororum,
E vobis præsint hæ modò, vt opto, duæ.
At quoque perculsæ infando, magnoque dolore,
Quam precor, in luctu ferre valetis opem?
Num satis vt cecidit memorandus Martis alumnus,
Dicere tu Clio, Melpomeneque potes?
Flendus casus vt est, satis an lachrimare valemus?
Iam licèt imber aquæ plurimus ore cadat?
Edoctum quis enim iuvenem iam Palladis artes,
Regalique Deum, Progenieque Satum.
Cui tandem Mavors animos inuidit in armis,
Perfusus cecidit dumque cruore suo,
Cuius & ante fuit multo hostis sanguine vindex,
Quoque parentauit Manibus ipse suis.
Quis, precor, annos bis denos vix ante peremptum,
Nec lugere satis, nec lachrimare queat?
Heu quoties dixi, iam certus vt indolis eius,
Quodque ferox rueret semper in arma prior:
In sua damna parat, quæ bella parauit in hostes,
Victima virtutis iam cadet ille suæ.
Sanguinis atque dabit tandem libamina Marti,
Stabit honos aris maximus vnde suis.
Fratribus vnde simul luctus, simul vnde Parenti
Illius ex obitu, quæ perit illa quoque,
Et mortem cuperet vitæ præferre dolori,
Consulat vt natis viueret illa nisi.
Nec decepta fuit mea mens præsaga futuri,
Prædictis fecit sanguine namque fidem.

Proh

Proh dolor! Occubuit multos victurus in annos,
Deliciæ matris, tum Patriæque decus,
Cuique sinus, Vrbis, dum in propugnacula pandit,
Pro Patria è viuis cedere dulce fuit.
Casu cuique suo placuit signare sepulchrum,
Et tumulum thalamis antehabere quoque.
Proh dolor! Occubuit, quem Mars, doctæque Camœnæ
Artibus imbuerant, quilibet vsque suis.
Nouerat & Martis, qui ferrea bella ciere,
Oreque dulciloquo vincere doctus erat.
Qui genus acceptum Proauis iam reddidit ipsum,
Cui sit nobilitas nobilitata manu.
At dolor immanis, quo mentes abripit iste?
Desine tu Clio, Melpomeneque, precor,
Iam lachrimas miscere meis, & parcite tandem
Questibus insanis, mœror, & omnis eat.
Et matri sortem iuvenis gratare secundam,
Et gratare simul fratribus atque suis.
Vtque trucis casus sæuum memorare dolorem,
Desine iam Clio, Melpomeneque, rogo.
Triste malum, morbus nobis haud abstulit illum,
Atropos haud vitæ stamina rupit iners,
Ad superosque volauit Martis adeptus honores,
Unde tibi Clio iam memorandus erit.
Æterna vndeque nomen posteritate fruetur.
Quod memorandum sit Melpomene que tibi,
Lætaque tristibus interdum, quæ carmina misces,
Carmine cum tragico, claraque gesta canis.
Fratribus ergo iterum, atque iterum gratare parenti,
Ciuibus & paritèr, tùm Patriæquesimul.
Gratare exanimi, fato gratareque functo,
Annis qui paucis edere multa scijt,
Nomine quique suo iam totum impleuerit Orbem,
Nuncque Domus superas, altaque Regna colit.



IN IMPERITOS MEDICOS Somnium.

ELEGIA SECVNDA.

NOx erat, & placidæ dederam vix membra quieti,
 (Eſſe queat miſeris ſi tamen alma quies)
Vtque ſolent noctu ſpecies ſe offerre diei,
 Mens mea queſta die, nocteque queſta fuit.
Vt vigilans luxi in ſomno ludibria ſortis,
 Et quod in aduerſis ſpes mihi nulla foret,
Rebus & in fractis cauſabar Apollinis artem,
 Quodque Poeta forem, pauper & inde ſimul.
Verbis ſicque meis ſe pungi, vt ſenſit Apollo,
 Triſtes hos queſtus non tulit ille meos:
In mea ſicque mihi eſt viſus tunc dicta referre,
 Non eſt, crede mihi, iuſta querela tua,
Non ars carmina ſcribendi, artis at officit vſus,
 Scribere quæque iuuat prodere ſæpè nocet.
Optima, quis dubitet? mea ſint cum munera ſemper,
 Apta tamen non ſunt munera cuique mea.
Quid valeant, opus eſt, quæ ſint, & qualia noſcant,
 Mercedem notis pendere tumque velint.
Hæc duo ſi deſint, ruerit fortuna Poetæ,
 Et ſæpè vt deſunt ſic quoque ſæpè ruit,
Virgilios etenim, inter quos hæc edidit ætas,
 Mecœnas equidem vix tamen vllus erit,
Diuitiæ cui ſunt, eſt cuique illuſtris origo,
 Non eſt ad dandum dextera larga manus.
Æris opimi autem fuerit ſi prodigus ille,
 Nulla tunc fuerit præditus arte bona,
Quiſquis at ignaro, vel auaro hæc munera donat,
 Pœnas perſoluit criminis ipſe ſui.
Dentur at vt, nulli, indigno extitit auctor Apollo,
 Immeritoque neges ſemper is auctor erit.
Nec ſine luctu equidem ſperni mea numina cerno,
 Quodque meis aris non habeatur honos,
At queror immeritò mihi, quod non prœmia ſoluant,
 Immerito, & quereris, quod cadis arte mea.

Vt video, vtque fatebor, sis licet indigus vna,
Arte tamen diues tu potes esse mea.
Non etenim præsum doctæ, sacræque Poesi
Tantùm, sed doctus sum Medicæ artis ego:
Vnde vocor Medicus, prouentus vndeque multi,
Discipulisque meis vndeque multus honos,
Vnde venit tandem Medicorum longa propago,
Quilibet vnde meos dicere iure potest.
Quominus vtilis est, plus creuit cura salutis,
Vitæ sicque fames his dedit hocce decus.
Casibus aduersis igitur solatia quærens,
Hac precor, vna spem ponito in arte tuam.
Nec tibi sit curæ, quod noster dixit alumnus,
Ars equidem longa est, vitaque nostra brevis.
Hæc etenim methodo facili hoc perdiscitur æuo,
Qua semel imbutus, doctus & eius eris.
Indigesta licèt multa eructato Galeni,
Sit grauis inde tibi, tum quoque in ore sonus;
Illius & pariter tu dicta tenere memento,
Qui celebrem Còum reddidit arte sua.
Hæc multum Medico dictorum sarcina prodest,
Sæpè salus quamuis colligat inde nihil.
Magni fac constent, quæ tu præscripseris ægro,
Ponderis hæc etenim plus medicamina habent,
Dummodò sit diues, quem curas, nec sit auarus,
Quem parui curent diues opum quis erit?
Longaque palla tibi sit, sit faciesque seuera,
Insuper & mentum plurima barba tegat.
Sollicitum primò cum mox inuiseris ægrum,
Atque arteria sit perspicienda manu.
Erectis oculis, pulsato hæc organa vitæ,
Aut ægro infixis intuearis eum.
Viribus intentis vt qui discrimina pendis,
Anxius atque tua mente reuolvis opem.
Spes quoque & ægroto detur tunc prompta salutis
Spes sæpè ægroto pro medicamine erit.
Tum quoque de morbo sermo tibi si sit habendus,
Sint in iudicijs abdita verba tuis.
Nomine nec solito tibi res tunc vlla vocetur,
Roboris ignotis plusque vigoris inest.

Quæ

Quæ non cognita sunt nobis, maiora putantur;
Magnam nec dubites hinc feret æger opem.
Quæ modo conijcies, non declarare memento,
(Coniectare tamen, si quoque forte potes)
Dicere si sit opus, tua sint oracula verba,
Exponi possint, quæ benè, quæque malè.
Artibus his dubijs fama indubitata manebit,
Rebus (si sapias) prospiciesque tuis.
Hora quaque cibum sumat, si te rogat æger,
Sit melior mentem, quæ subit illa prior.
Nec timeas Medicus te cum ne sentiat alter,
Seu vocet æger eum, siue vocare velis;
Sentiat etsi alitèr, tibi nam succurret egenti,
Nec qua opus hic habeat ferre negabit opem.
Ægro si aduenіat morbo succumbere fato,
Præscriptam dicas cuilibet esse diem.
At si restituantur ei viresque, salusque,
Præstitit hoc dices sedula nostra manus.
Quemque pericli expertem morbum agnoueris ante,
Finge, fuisse tamen multa pericla in eo.
Namque fidem semel ægrotus iam sanus habebit,
Dum sibi reddita sit pristina grata salus.
Si primus fuerit Medicus dimissus ab ægro,
Illius inque locum fortè vocatus eris.
Tunc ægri sortem, tarde te plange vocatum,
Præstiteritque prior scilicèt alter opem.
Hæc valet ars Medico, mihi credito, callida multum;
Quilibet exitus hinc nec metuendus erit,
Si cadat æger enim, tunc primò addicito casum,
Si secus acciderit, tu decus omne feres.
Principio accidit vt, si magno haud nomine polles,
Mula tibi præpes sit, properansque gradus.
Et licèt inuisenda tibi vix sit domus vlla,
Tu tamen intrato quamlibet inque domum.
Ingredientem te videat, qui proximus ille
Tunc dicet, multis admouet iste manum.
Fingito pauperibus gratis te velle mederi,
Fama est hocce modo concilianda tibi.
Auxilij tota nam rumor in Urbe sonabit,
Credula res nimis est, vtque salutis amor.

Acceptam

Acceptam referent operæ, quam sæpè salutem,
Natura alma parens, prouida sola dedit.
Quod tamen hi dederint, tu derrectare caueto,
Quæstus principio quilibet aptus erit.
Ast vbi parta semel fuerit iam tempore fama,
Pauperibus simul &, tuncque negabis opem.
Quam dare namque potest pauper, plus diues avarus,
Vel nolens, potest suppeditare tibi.
Hæc sat erunt equidem sis paruo vt tempore diues,
Si servas animo, menteque dicta tenes.
Artis enim velles si nostra attingere culmen,
Quam nunc te doceo, plura docendus eras.
Factus at arte mea, licèt esses alter Apollo,
Ditior haud equidem, doctior inde fores.
Inter namque meos docti sint cum tot alumni,
Qui mecum certent (ni superare queant.)
His tamen ignaros præferri sæpe videmus,
Nec felicior est, qui magis ille sapit.
Vix equidem mihi dixerat hæc dilectus Apollo,
Excutior somno, cum speciesque fugit.
Fatus erat quæcumque, & certa mente revolvens,
Dixi consilij, propositique tenax.
Vt sum, malo quidem, pauperrimus esse Poeta,
Quàm sine doctrina diues & esse Medens.
Carminibusque meis, quosvis extollere malo,
Tollere quàm viuos inscius arte mea.

MERCVRIVS DE PACE INTER MORTALES INEVNDA, A IOVE AD PLVTONEM LEGATVS.

ELEGIA TERTIA.

SCrutari terras cuperet cum Rector Olympi,
Res & ob humanas anxius ille foret.
Et quocumque modo, miseris mortalibus, haustis
Stragibus assiduis, ferre pararet opem.
Maiugena comitatus, liquerat ætheris arces,
Aera per vacuum, roriferumque volans.
Quem magis vt fieret tàm præclaro hospite dignus,
Floribus imbuerat Chloris odora prius.
Ambrosiæque Ioui gratum perfudit odorem,
Quo Pater omnipotens lætus adiret eum.
Fulserat hacque die maiori lumine Phœbus,
Lætior atque suos sub iuga misit equos,

Iupiter intereà vt Cretam incunabula venit;
Paciferum Diti mittere censet opus.
Consilij, adventusque sui quo certior esset;
Eius & auxilio suscipiatur opus.
At Deus ille vafer Patris vt præcepta capessit;
Tænarias fauces præpes adire parat.
Illis namque datur tristis descensus Auerni,
Tartarei & domini pallida Regna patent.
Ostia sed semel vt pulsans Cyllenia proles,
Custodem monuit, pervigilemque Canem.
Terque, quaterque nouo simul horrendoque latratu;
Limina qui pulset, signa dat esse Deum.
Tùm Divûm Interpres solers admittitur intus,
Copia Ditis vbi, colloquiumque datur.
Exposuitque Deo, flammis qui præsidet Orci,
Omnipotens dederit, quæ sibi iussa Pater.
Inclyte Rex, & aui soboles, qui Regia nostri
Carcere spectra tenes, imperioque premis.
Huc tibi germanus faustam, longamque salutem
Mittit, fausta salus si tamen esse potest.
Consumptos homines, longo belloque cruento;
Ægrè iam patiens; hos sociare cupit.
Vt faveas operi, tantùm frenato ministros,
Ne precor obstiteris, sic satis ipse iuves.
Tum referenda placent germano talia Diti;
Aliger, ista Iovi reddito nostra precor.
Deserto solio, frater, cœloque relicto,
Vmbrarum Domini, quod meminisse iuvet.
Permagnas agimus grates, & semper agemus,
(Namque status noster posse referre negat.)
Cætera, sed Regnum, nobis vt cessit Auerni,
Quod bello maneat, quod modo pace ruet.
Vtileque Imperij quærit prudentia Regis,
Qui Populis tantùm, non sibi sceptra tenet,
Nunc homines inter statuit, quæ fœdera pacis,
Legibus haud vllis accipienda putem.
Regnis quippè modò cunctis non viuitur vno,
Pax decet illa Iovis, bellaque nostra iuvant.
Turba cruenta placet, nostris & congruit vmbris;
Sedibus ætereis convenit alma quies.
Mortales inter fratri concordia iure
Mitis vt est animo, concilianda fuit.

Mente quidem ſæva nos, nec mortalibus æquos,
Inter eos bellum, diſsidiumque iuvat.
Hæc fratri referas, & noſtram ferto ſalutem,
Regia progenies, tu quoque ſemper ave.
Hac vix fatus erat ſæuus moderator Auerni,
Dixerat Arcadius vixque valeto ſemel.
Alecto immitis cum triſtis Erynnis ad illum,
Truxque Megæra ſimul, Dite jubente venit.
Hæque precantur eum, Regna vt Plutonia luſtret,
Lumina ſupplicijs paſcat & ille ſua.
Officijs etenim præſunt & ritibus Orci,
Vt, qui præſit eis, Orbis habere ſolet.
Aſt alibi dantur læta vt ſpectacula tantùm,
Triſtia nulla niſi Regia Ditis habet.
Arrident tamen vt virtutum præmia iuſtis,
Sic vindex culpæ pœna ſevera placet,
Vt miſer Æolides aſſuetos viuere rapto,
Non hos vidit ibi voluere ſaxa Deus.
At ſemper cupiunt, vt tantùm admittere furta,
Crimine perpetuo crimina facta luunt.
Nam, quæ ſubripiant ſubitò vertuntur in hydras,
Supplicio culpam ſic ſubeunte graui.
Turpe ſed exemplum Scyllæ, horrendumque ſequutæ,
Haud in aves verſæ, fletibus ora replent.
Aſsiduè præſens at ſæua Parentis imago,
Semper vt has terret, plectit eaſque ſimul,
Perpetuis Erebum, diriſque vlulatibus implent,
Has quovis fugiant, inſequiturque dolor.
Res & ob iniuſtas, auſi qui bella ciere,
Noluerint pactis fœdus inire tenax.
Non vt terrigenæ, non vt ſæuique gigantes
Oppreſsi recubant pondere molis ei;
Atri verum innant mœſti per ſanguinis vndas,
Quo ſatiare famem, quo nequeuntque ſitim.
Inſtar ſed Pelopis diri, ſæuique parentis,
Sanguine qui proprio tinxerit ille manus.
Vulneribus ſæuis perrumpi viſcera ſentit,
Integer atque manet, ſic licet ille lacer.
Ambitione laceſsi, quos hic vidimus olim
Preſſerit aſsiduè, quos & honoris amor.
Aera ſoliciti vacuum ſectantur in Orco,
Illic poſt obitum, quos ſatiare nequit.

At ſcelere attigerint ſummi qui culmen honoris;
Functis vt viuis, ſolicitudo manet.
Mœſti nam pendent, procliui in vertice ſummo,
Qui parat excidium, quique minatur eis.
Caſus abeſt tamen, atque infixi ſedibus hærent;
(Pœna grauis ſatis eſt, ſuppliciumque timor:)
Inter ea ſcopulis ſtant ignea ſceptra tenentes,
Et cor vt arſit eis, vritur hiſque manus,
Imperium verò, qui deſpexere priorum,
Nulla quibuſque fuit ſolicitudo vigil.
Deſidia lucem, qui protraxere nefandam,
Et quos viuentes dixeris vſque mori.
Horida ſceptra tenent, mœſtam geſtantque Coronam,
Perpetuò pungunt ſpicula cuius eos,
Illius vt ſentes, viuens qui reſpuit ille,
Fato functus vt eſt, experiatur eos.
Hæc Atlantiades ſtudioſo lumine luſtrans,
Vt qui res Erebi noſcere lætus erat.
Arcadiæ Regis triſtes, fœdoſque receſſus
Viſit, vbi verſo corpore, nomen habet,
Omnia ſævus vt eſt, diris vlulatibus implens,
Efferus erga homines, impius inque Deos;
Servata ſed forma, ſub ſpecieque retenta,
Innumeros alios hic vlulare putes.
Nam ſecús haud faciunt cuncti ſub nomine cultus,
Et titulo obſequij, qui violâre Deos.
Quique manu tædas, horum ſacros in honores
Appoſuere aris, & pia vota quoque.
Quod ſimul ac factum eſt, arreptis ignibus ipſas,
O ſcelus infandum, quodque referre pudet!
Haut dubitare ſuis veſani abſumere flammis,
Fallere credentes impietate Deos.
Tùm nimio ſtudio ſectati Amphionis artes,
Vitæ qui curas depoſuere graues,
Illius exemplo, ſtructis nec mœnibus Vrbis,
Qui modo ſunt viſi vertere ſtructa prius.
Limoſæ ſtantes, triſtiſque paludis in ora,
Horrida ſemper, vbi nil, niſi ſpectra vident,
Auribus accipiunt querulos, raucoſque ſuſurros,
Noctu, quoque die, garrula rana refert,
At cœco nimium, ſi quis conceſsit amori,
Imperioſa nimis, ſi ſua Lida fuit,

Eius & arbitrio viuens se gessit iniqué,
Clauiger vt fecit captus amore suæ.
In pœnam culpæ, fuso tùm vellera ducit,
Pollice tumque trahit mollia lina colo.
Induit, atque sibi gestat, quas fœmina vestes,
Quarum non cessat subdere colla iugo.
Vidit vt aliger hæc, cupijt non plura videre,
Vt qui multa satis viderit, illa videns.
Hisque semel notis, vt qui iam cætera noscat,
Ad summumque Iovem iam remeare parans;
Noctigenas Furias orat, sibi copia detur,
Et portas referent Orci, vt abire queat.
At dictis semel his perceptis auribus illæ,
Aligeri optatis non renuere Dei.
Panduntur portæ, sed vt ille exire parabat,
En vitæ nentes stamina torta Deæ.
Præsens, vt noscunt, quæ sunt gnaræque futuri,
Hosque dedisse ferunt Maiugenæ ore sonos;
Interpres Divùm, alto qui genus à Ioue ducis
Fœderis, huc, causa, qui patre missus ades.
Cuique petita modò renuit Dominator Auerni,
Imperij causans vtile nempè sui.
Figito dicta tuis animis, hæc nostra precamur,
Parcito nosque semel velle monere Deum.
Invitis Furijs, cunctis Erebique Ministris,
Iupiter optati compos eritque modo.
Mortales inter statuit, quæ fœdera iunget,
Ordine nuncque tibi cuncta referre iuvat:
Semideùm soboles, pacis iam vincula stringet,
Dissidijque potis tollere semen erit.
Creuerit intereà felix, & longa propago,
Imperio cuius subditus Orbis eat.
Diraque fax belli, paucis voluentibus annis,
Cocyti gelida mersa manebit aqua.
Quæque ruere olim Diuorum Templa resurgent,
Vt modo fana ruent, quæ steteruntque diù,
Gens inimica Diis multis erroribus acta,
Discutiet tenebras, & pia thura dabit.
Hæc vbi fatidicæ ternæ fudere sorores,
Horruit Eumenidum turba severa citò.
Sibila dant linguis, & flammiuomo ore coruscant,
Omine percussæ, non levis vnde dolor.

Tùm pedibus feriunt Terram, aera vocibus implent;
Exululatque Canis ianitor ore fero.
Aliger atque Ioui remeans, hæc cuncta reclusit,
Somnifero omnipotens, Morpheus ipse mihi.

IVDICIVM MINOIS.

VT curis animi possem præbere leuamen,
Gratior atque foret corporis inde labor.
Exoriente die descendi ad fluminis oram,
(Pluribus vt mos est) vt spatiarer ibi,
Hora qua sed ego, nullus descenderat illuc,
Præpes auisque fuit, tum mihi sola comes.
At nobis placuit, quod forsitan horreat alter,
Tristibus hæc etenim convenit alma quies.
Hacque frui statuens, statui penetrare recessus,
Tristis vbi sortis flet Philomela nefas.
Est vbi Vere simul viridis iuncta vmbra quieti,
Stagnantes & aquas concitat aura levis.
Sors sed vt in cunctis lætis commiscet amara,
Hic Philomela canit, rana virensque simul.
Hicque sedet crocitans super annosa arbore corvus;
Infido ore vomens omnia læva suo.
Hæc ego, cum reputans mecum, discrimina pendo;
Persequor hanc diris, plaudoque lætus aui.
Accipiunt artus nostri tunc munera Divûm,
Et mea iucundus corripit ossa sopor.
Vixque super viridi, & molli herba membra repono;
Cum mihi visa fuit plurima turba silens,
Sumque videre lacus tristes mihi visus Auerni,
Quos tenet asiduè Cymba Charontis atra.
Squallidus ille senex cunctas quà traijcit vmbras,
Tartara quà manes, Elysiumve petunt.
Me sed vt ex numero nouit non esse silentum,
Cur mortalis, ait, littora nostra petis?
Cæperit & referas, quæ te fiducia nobis,
Num, rogo, vt æneæ est aurea virga tibi?
Te lateat forsan, nullum, nisi morte peremptum,
Has inijsse vias, hos adijsse locos?
Viuo (tibi fateor) functumque fuisse pigeret;
At cur huc adeam, non mihi causa patet:
Innocuo parcas, superosque revisere detur,
Qui nolens peccat, læserit ille minus.

Pone

Pone metum, dixit fœdus tum Portitor Orci,
  Ingredere & Cymbam, tristia nulla feres.
Ad superos remeans, poteris tùm plura referre,
  Quæ, nisi decipiar, non tuus Orbis habet.
Conscendique statim, factis mox dicta secutus,
  Meque silens subito turba secuta fuit.
Quisque forem rogitans, Phœbi me vt nouit alumnum,
  Ingenuas artes meque docere sciit.
Has triuisse vias hodie haud te tædeat vnquam;
  Addidit ille senex, plura videbis enim.
Quæ simul ac redeas, multum meminisse iuvabit;
  Quæ referas alijs, carmine quæque canas.
Arbiter vmbrarum, rigidus iudexque silentum,
  Illarum causas nunc agitare parat;
At dirimi lites nostro ne à Iudice credas,
  Fraudibus infandis, vt fit in Orbe tuo.
Namque fauor nullus valet hic, aut gratia nulla;
  Nec flecti nummis Curia nostra potest.
Sed ius: Pergere dumque parat, cum murmure magno
  Ventis vela daret, perfida turba petit.
Hæc properans ortum, fuerat gens litis amica,
  Lictores, Scribæ, Causidicique simul.
Quæque diremptum iri lites vt sensit in Orco,
  Indulgens genio, læta petebat eum.
Mores tumque videns stantes post funera dixi,
  Mors lucem eripuit, sed manet vsus eis.
Arrisit vetulo satis vt sententia nostra,
  Hæc sua tum dictis reddidit ipse meis.
Illi Tartareum miscebunt legibus Orbem,
  Id si præstandi copia forte datur.
Edictis etenim, vt sæpé hæc edicta repugnant,
  Sic quoque, cuique suum ius, sine iure manet.
Lembus at intereà aduersas pervenit ad oras,
  Excensus cunctis est faciendus vbi.
Est & vbi Rhadamanti, Minoisque Tribunal,
  Qui dirimunt lites, iudiciumque ferunt.
Proximus hisque sedet vindex legum Æacus ater,
  Crimina pendentem, quem timet vmbra silens.
Claustra sed vt Stygij intrauere forensia manes,
  Iudicis & facies est vbi visa semel.
Horrendum subitò clamorem ad sidera tollunt,
  Mens etenim facti conscia dira ferit.

Tot

Tortorisque modo, cogit dum vera fateri,
Tormentis animas afficit illa prior.
Arbiter, expensis donec quæcumque patrarunt,
Pro meritis pœnas ille subire iubet.
At dum mente expendo, oculis quæ tristia lustro;
Auribus & capio murmur vbique ferum.
Dum tanti cupio strepitus distinguere causas,
Et prope dum venio, cernere quæque licet.
Alta Iudicibus primum tum voce vocatis,
Legifer hæc in eos verba tremenda refert.
Imperio Regum Populis, qui iura dabatis,
Nulla quibus recti solicitudo fuit.
Ast odio ducti, commoti qui vel amore,
Præmia, seu pœnas distribuistis eis.
Quos lucro ductos pondus corruperit auri,
Cuius dira fames, ausa sit omne nefas.
Pauperis, aut viduæ, haud contenti, sanguine vestram
Vel sedare sitim, vel satiare famem.
Qui voluistis eo vestros saturare ministros,
Horrida vt omni modo crimina vestra forent.
Libra manus vestras, vrens præcordia vestra,
Crimina dum pendent, plectat & igne suo.
Viscera, quæ potuit miseratio nulla mouere,
Dilaceret sævus, perpetuusque dolor.
Vos equidem Reges, immoti questibus vllis,
Qui rigidum Populis imposuistis onus.
Desidia quorum peccarunt sæpe Ministri,
Et quibus vna modo lex voluisse fuit.
Nunc ceruicem oneri sæuo supponite diram,
Et iuga vestra modo ferrea, colla premant.
Imperioque vsi vestro sine finibus vllis,
In pœnam scelerum, discite jussa sequi.
Luminibus vestris præsens sit iniqua libido,
Pœna sit vt gravior, sæviat vtque magis.
Fucatis mentem dictis simulare periti,
Et soliti Dominis subdola verba loqui.
Qui labes animi, mores prauosque tegentes,
Obsequiis nimiis sæpè fouetis eos.
Criminis in partem, qui sic venistis eorum,
(Crimina qui celebret, cum sit & ille reus)
Sic vos quasque luant pœnas, ipsasque luctis,
Parque pari sceleri, debita pœna fuit.

Quærere ſed ſoliti ingentes è fœnore queſtus,
Tollentes & opes, cuique tuliſtis opem.
Ludentes miſeros ſpecie ſub amoris iniqui,
Auxilij titulo, quique necaſtis eos.
Candentes nummi manibus tractentur vbique
Veſtris, ſitque ferus munera ferre labor.
Sub iuris ſpecie docti captare clientes,
Qui varijſque dolis ludificaſtis eos.
Hos & in euentus, ſpem qui adduxiſtis inanem,
Stent vt, cum ruerit, præmia veſtra modo:
Aut lucri ſtudio verum ſub corde prementes,
Quam dare par fuerat, ſæpe negaſtis opem.
Prodere ſeu falſum ſoliti qui iudice coram,
Sæpius arbitrio deſtituiſtis eum;
Ære patrocinium docti qui vendere multo,
Soluere qui nequijt, mox renuiſtis opus.
Criminis in pœnam ſcribetur fœtida vobis
Charta, nec vlla quies alma laboris erit.
At modo veſtra fames eſca ſatiabitur iſta,
Viſcera quæ laniet, tormina quæque dabit.
Suppliciumque noui fuerit ſic cauſa doloris,
Unde perennis eat, ſæuiat vnde ſimul.
Lictores, ſcribæ, infenſi mortalibus æquis,
Quos hominum probitas ſola necare valet.
Et ſcelerum nunquam fuerit queis vltio curæ,
Quærere ſed docti commoda veſtra modo,
Vnguibus, vt volucres, ſoliti qui viuere rapto,
In prædas ſæui dilaniaſtis eas.
Viſcera veſtra ferus nunc quiſquis tortor inurat,
Et manibus laceret dirior ille ſuis.
Materiaque noua ſemper reparante peremptam,
Iapeti vt ſoboli, ſit ſine fine dolor.
Vos autem Medici docti Chironis alumni,
Qui niſi diuitibus ferre nequiſtis opem.
Nec perpendentes ægri quæcumque pericla,
Lumine, deſidia, qui ſpoliaſtis eum.
Aut qui gaudentes requiem præferre labori,
Sæpè negaſtis ei, nocte adhibere manus.
Veſtraque perferret ne tum ſententia labem,
Illum duxeritis quique neceſſe mori.

Supplicium vobis cunctos sit ferre dolores,
Ægri quos miseri sæpe tulere feros.
Vos equidem Proceres præclara sorte superbi,
Et nuda tantum nobilitate graues.
In quodcumque nefas, & semper quique ruistis,
Vt sumptus starent, luxuriesque domus.
Fœdantes vitio, quod aui virtute pararunt,
Qui quoque segnitie, dilapidastis opes.
Debita spreuistis crebro qui soluere vestra,
Exutusque bonis creditor vnde fuit.
Pluribus vnde fuit tandem crudelis egestas,
Quam siccis oculis cernere moris erat.
Nulla quies pœnis fuerit, nullumque leuamen,
Vestris insultet quilibet vsque malis.
Vos cupidosque coli, dignos nullo sed honore,
Infimus exagitet quisque probrisque suis.
Virtutis specie vitium fucare periti,
Sacra quibus pietas luxit in ore modo.
Impietas quorum diris tum cordibus hærens,
Fœdum quodque fuit docta patrare nefas.
Sic vos falsa boni semper dum ludit imago,
Perpetuo sub ea, vos mala vera premant.
Quæque dapes manibus tractentur, toxica vestris
Fiant, atque cruor, quæ videatur aqua.
Lingua quibus fuerit quemuis incessere docta,
Et fictum veris addere sæpe scelus.
Atque decus soliti multo pretiosius auro,
Carius, & vita, tollere cuique suum.
Laudibus hos premat immanis nunc tollere pœna,
Quos vobis fuerit mos lacerare probris.
Et pœna grauior, vobis sit pœna fateri,
Quas dabitis laudes, has meruisse prius,
Munus at acceptum, nunquam qui mente tenetis,
Serpentum soboles, progeniesque fera.
Visceribus diris, diro qui felle tumentes,
Excepti gremio, toxica sæpè datis.
Æquandum scelus vt vestro non extitit vllum,
Vestraque noxa modo, vicit vt omne nefas.
Pœna fuit sceleri cuivis, quæ debita lege,
Vos alternatim torqueat inque dies.

Vos

Vos & abutentes studij, qui nomine sacro,
Prodere quos placeat, sæpe fouetis eos.
Quique fauetis eis, spirat dum prospera tantum
Sors, & eos fugitis, cum semel illa fugit.
Auxilij vestram spes mentem pascat inanis,
Spes his nulla licet possit inesse locis.
Et dum certa tenet vestram fiducia mentem,
Succedat pœnis altera, dira magis.
At dare vos soliti vestro iam crimine pœnas,
Non his vsuri, qui cumulastis opes.
Moli quique graui subiecti ponderis auri,
Vt vobis, alijs ferre negastis opem.
Ferre labor vester, sit perpetuoque referre,
Infandum pondus, Sisiphus alter vti.
Nec molis casu fuerit spes alma quietis,
Æoliæ vt soboli, pondus at vsque premat.
Vos minimo pretio cuiusvis sanguine docti,
Innocuo vestras commaculare manus.
Noxaque nulla quibus bilem, nec concitat iram,
Auri quamque fames vnica dira mouet.
Quo solitus Phalaris tauro sæuire Perilli,
Inuentor pœnæ quoque peremptus erat.
Hoc plectenda modo sæuo sint crimina semper
Vestra, nec intereà detur obire tamen.
Vos humili quondam vestra queis sorte benignis,
Vt fuit aucta semel, mens tumefacta fuit,
Insolitæ sortis vestræ qui pondere pressi,
Ferre nequiuistis prosperitatis onus.
Sit modo rependum vobis, serpentis ad instar,
Vos pede quisque graui proterat vsque suo.
Illuvies Erebi, vos diro verbere cædat,
Sit dirumque magis, verbera sæua pati.
At vos, queis solitis lætari numine læso,
Impietate decus quærere cura fuit.
Vos semel edocti superos qui spernere testes,
Mente revoluistis crimina magna modo.
Vestra graues scelerum semper dent corpora pœnas,
Hæc quamuis nequeat plectere nulla satis.
Ast animi noto veniat de crimine pœna,
Immani culpæ, sit similisque dolor.

Cuiusvis thalamos ſemper temerare parati,
Crimina criminibus, quos cumulare iuvat.
Quos turpi vitio haud contentos addere furtum,
Vidimus huic ſceleri iungere ſæpe necem.
Corpora veſtra premant diri, varijque dolores,
Suppliciumque luat, pars rea quæque fuit.
Fuderat hæc rigidus Minos vix ore ſeuero,
Cum mihi viſa fuit plangere turba ſilens.
Clamor & inſanus noſtras vt percutit aures,
Vaneſcit ſpecies, diſcutiturque ſopor.
Quæ non vera forent, finxit tunc mortis imago,
Finxerit hæc æquo diſſona nulla tamen.
Talia ſi fingam, nec me dormiſſe pudebit,
Tædeat & nullum, qui vigil iſta legat.

IN MAGISTELLVM GRAMATICÆ Anonymum, Gregarium Poetam, ridiculè meo nomine ridiculis numeris, non verſibus in me exclamantem, barbarè me increpantem, barbarius amico plaudentem.

NOn ſcribis, latras, quiuis ſis vt canis ater,
Dentibus & rabidis me petis ergo tuis?
Innocuum laceras ſic immeritoque laceſsis?
Te nec lædentem lædere ſicque juuat?
At non vt reputas, nunc impunitus abibis,
Nec medicamen erit, punxero te ſemel vt.
Quid tibi cum Satyris poſſunt, quæ lædere nullum?
Nominibus fictis carpere namque ſciunt.
Te mihi non læſum, facie nec nomine notum,
Quæ rabies quæſo te furor & quis agit?
Quid tibi cum lymphis puris & Apollinis vndis
Vndique, qui fœtens ſordibus vſque ſcates?
Cur tibi dic fatuo celebratur cantus oloris,
Qui tantum vt veſpæ murmur in ore feras?
Qui eructes matulas, & fœtida lotia ſpires,
Stercus & emittas cum vomis ore ſonos.
Balbas & referas cum tantum pectore voces,
Quæ puerum redolent, diſce ſilere precor.

Bar-

Barbara verba loqui, potius vel rudere doctus,
Quamque docere rogo, discere scito prius.
Dixero non heu, namque tuam non lugeo sortem;
Nausea magna sed est. Hui geminabo quoque.
Nec precor vt tibi nunc Phœbus, castæque sorores,
Ignoscant, fatuus lædere namque nequit.
Insipiens sapias sed si resipiscere possis,
Nec pœnam vocites, vnde cachinnus erit.
Infandum enixus partum vix, totque diebus,
Ne parias iterum, ne pereasque modo.

IN C. M. CEU IBIN.

EN ego qui toties aggressus carpere sæcli
Mores, hos cecini carmine sæpe fero.
Et labes animi solitus, qui pungere dictis,
Esse nefas reputem parcere cuique leui.
Num ne philaute tuas credis me posse tacere?
Parcere num credas inuide posse tuis?
Nec stupeat quiuis tacui quod tempore longo,
Ut meditarer, opus sæpe necesse fuit.
In cunctas etenim labes, quæ plurima scripsi,
In te, crede mihi, sunt referenda modo.
Utilitate tua, semperque tueris amicos,
Quos, si nil prosint, deseris ipse cito.
Nunquam pro meritis illos tu laudibus effers,
Sed qui plura dat, est dignior ille tibi.
Qui, si, quæ cupias, aliquando forte recuset,
Mox odiosus erit, qui modo charus erat.
Imprudens aliquis tibi si secreta reuelet,
Perfidus illa cito tu reserare cupis.
Sed reserare cauens, quod gignere possit amorem,
Quæ moueant odium, dicere semper aves.
Et, si, quæ prodesse valent, aperire teneris,
Verba tibi desunt, res & in ore perit.
Integra si maneat, nihilum si detrahis illi,
Tum modus in verbis toxica dira parat.
Rebus in aduersis, animo si te petat æger,
Non equidem verbis mite leuamen inest.
At minuens spem, gaudes damni augere timorem;
Dumque manus adhibes, vulnera dira facis.

Pernicieque hominum, geſtis vt, dæmonis inſtar,
Sunt horum pariter gaudia ſæua tibi.
Quid tum forte tuo ſi quis confiſus amore,
Orat ſubuenias, auxiliumque petat.
Hauſerit hic citius lymphas e marmore ſicco,
Quam faueas illi; ſubſidiumque feras.
Aut ſi ſuccurres, gratis haud feceris vnquam,
In cunctis ſpectans commoda quæque tua.
Vt læuumque diem ſolitus ſignare lapillo,
Qui ſine prouentu fluxerit ille tibi.
At ſemel in vita, biberis fac pocula lethes,
Quo facile poſsis immemor eſſe tui.
Fac ſemel in vita, ſis auxiliatus egeno,
Nec minimum lucrum venerit inde volo.
Gratia conſtiterit precibus quot amabò, petenti?
Huicque neceſſe fuit quid tolerare prius?
Quodque manu dederis, quoties vulgaueris ore?
Cum qui percipiat, ſit meminiſſe ſatis.
Cum (nemo vt neſcit) ſint inſtar munera laudum,
(Ut ſententia fert) quæ proprio ore cadunt.
Cumque ſcias modicè, nullum tibi cum ſit acumen,
Centoneſque habeas, quos patulo ore iacis.
Sæpe quibuſque ſoles aures obtundere noſtras,
Quos ſine fine refers, quos male ſæpe ſuis.
Ingenio nolis vlli non cedere tantum,
Atque philaute, tibi cedere quemque velis.
Cum ſcribas nihilum, & modo ſis tranſcribere doctus,
Cum nihilumque ſcias ducere fonte tuo.
Attamen vt ſcriptis applaudat quilibet, optas,
Quod niſi tùm faciat, plaudere promptus ades.
Sed ſua ſcripta tibi ſi forte oſtenderit alter,
Verbis, & rigido reſpuis ore ſimul.
Quod vulgo facias, id præſtare arguis illum,
Et quæque inueniat, ſurripuiſſe refers.
Cuiuſvis laudes ſemper tu pallidus audis,
Interea arrident auribus vſque tuæ.
Hoc (patet vt cunctis) tua ſola philautia præſtat,
Id vero præſtat liuor in ore tuo.
At fudiſſe licet fuerit iam plurima viſus,
Sunt quam ſcripſerimus plura notanda tamen.

Vt tibi sit similis calamus quam fingit imago,
Distingui & maculis possit vt illa tuis.
Sed quidquid reliquum est horret mens pandere nostra,
Charta nec illa ferat, quæ referenda forent.

CONVENTVS DEORVM.

SOMNIVM.

EXtulerat nondum nigrantes lumine nimbos
Phœbus, & aer erat purus vbique nitens.
Noctis & æstiuæ tranquilla silentia nondum
Ruperat acris auis garrula voce sua.
Lux inter tenebras dubia, atque incerta micabat,
Esse solet qualis Sol vbi quærit aquas.
Cum subit in mentem segetes inuisere lætas,
Prægnantes & agros, quos colit alma Ceres.
Pomonæ fructus gratos, laticesque Lyæi,
Spes quibus agricolæ nostraque nixa manet.
Lætus at intereà nostris dum grator aristis,
Et lachrimor segetes, quas rapit atra manus.
Istas dum doleo, interea dum gratulor illis,
Deformis facies est mihi visa senis.
Pectore barba tenus grauis, atque impexa cadebat,
Nigraque vestis ei, longaque palla fuit.
Innixus baculo, gressu incedebat agresti,
Et quoque suetus erat sistere sæpe gradum.
Defixis oculis terram spectabat in imam,
Respiciens & eis sydera sæpe tamen.
Contorquens at eos in me, vultumque seuerum,
Hæc, mortalis, ait, cur loca nostra petis?
Incessuque tuo cur blanda silentia turbas?
Verge alio gressus, hisque recede locis.
Quiuis sis, refero, nostræ iam ignoscito culpæ,
Te nolens læsi, læsero sicque minus.
Vtque recedebam: maneas, mihi tunc ait ille,
Lædere qui nolit, lædere nemo potest.
Vtere colloquio, vt nos non te nosse pigebit,
Me, nisi decipiar, noscere lætus eris.
Arte mea noui polles quibus artibus ipse,
Ipse quibus valeam, tu pariterque scies.

Carmine sæpe fero nosti percellere viuos,
Ex Erebo Manes carmine sæpe voco.
Vel minimo iussu nostro natura mouetur,
Et pisces, & aues, cunctaque bruta simul.
Non valet ipsa modo Manes ars nostra vocare,
At quoties placeat, pallida regna patent.
Nec fuerit facilis tantum descensus Auerni,
Ars mihi sed superas dat reserare domos.
Vt semel audiui de se, quæ dixerat ille,
Instructum magicis artibus vtque scij.
Hacce via ductus, certa spe plura sciendi,
Enixe petij proderet artis opus.
Tum precibusque meis facilis sic annuit ille:
Tu pete quæque voles, ars mea cuncta dabit.
Rebus in optatis nullam patiere repulsam,
Quæ fuerintque tibi consule grata modo.
Non animus sæui fert limina Regis adire,
Sed penetrare placet splendida tecta Iouis.
Conueniens genio est sedes hæc alma quietis,
Nec me Ditis atri turbida Regna iuvant.
Grata magis fuerint hodie tibi claustra Tonantis,
Cum Diuum Coetus sit celebrandus ibi.
Hæc vbi fatus erat sensim me cernere noui,
Æthereas arces, cœlicolumque domos.
Marmoreis gradibus, quò mox peruenimus ambo,
Ascensu facili nam via plana fere est.
Distinctæ gemmis radiabant ordine multo,
Argenti bifores, artificisque labor.
Pluribus est ingens fornix ornata lapillis,
Extra materies aurea cuique nitet.
Nititur hæc moles celsis, pulchrisque columnis,
Quas quoque gemmarum circuit omne genus.
Cætera si referam, quæ sunt & digna referri,
Cursum perficiat Cynthius ante suum.
Jlla referre tamen dicam, quæ dicta fuere,
Pluraque nil dicens, dicere visus ero.
Longius at tandem simul vt processimus ambo,
Atque videre datur cum semel ora Deum.
Auribus vt potui verba exhaurire Tonantis,
Talia si memini, reddidit ore suo.

Bella ſemel nobis non indixere Gigantes,
Vim cœlis iterum bellaque dira parant.
Obliti pœnæ ſpernunt, & fulminis ictus,
Nec ſecura domus Regia noſtra manet.
Sic petitur cœlum, ſic ſpernitur æqua poteſtas,
Nos pariterque premunt hinc dolor, inde metus.
Nec ſatis eſt nobis noſtra oſtendiſſe pericla,
Detectiſque malis eſt adhibenda manus.
Hæc Pater omnipotens ſacro vix fuderat ore,
Cum ſubito Mauors reddidit iſta ſuo:
Imperium video noſtrum tentare Gigantes,
Exitus at cepti quis metuendus erit?
Num tibi certa fides hos iri fulmine tritum,
Indeque caſuros, vt cecidere ſemel?
Semones nobis ſunt, Semi-Deûmque caterua,
Sunt Satyri, & Fauni, plurima turba potens.
Præterea nobis eſt magna caterua clientum,
Dextera quos in eos noſtra parare poteſt.
Fulmine tumque tuo ſimul ac contriueris illos,
Ne parcas cineri, ſed ruat ipſe ſimul.
Terra nec illorum maneat poſt ſanguine tincta,
Ne ſoboles iterum pullulet inde fera.
Dixerat hæc Mauors, nimis eſt vt promptus ad iras,
Talia cui retulit filia docta Iouis.
Plurima conſilio, non vi componere præſtat,
Nec ſi vi ſit opus, trux decet ira Deos.
At ſimiles primis non credas eſſe Gigantes,
Illis nomen idem, ſed modus alter erat.
Vecordes animis illi nam bella gerebant,
Rebus at in cunctis hi ſapienter agunt.
Et veteris tamen vt belli meminique pericli,
Nunc etiam vereor ne ruat aula Deûm.
Eſto, ſed euentus felix vt vota ſequatur,
Ictaque progenies fulmine cæſa cadat.
Num precor expediet potius componere motus,
Quam dira fuſo ſanguine pace frui?
Dictis tum plures doctæ aſſenſere Mineruæ,
Vnde procul dubio pax ineunda foret.
Bellonæ Martis ſed diſplicuere ſorori,
Fratri ſicque fauens illa locuta fuit.

Damnis blanda quidem paruis medicina paratur,
Maxima ſed magnis eſt adhibenda malis.
Fœdere num certo credis frænare Gigantes,
Ambitio ſemper quos male ſana trahit?
Illi plura petunt, quo plus conceditur illis,
Pacta fides animos, conditioque dabit.
Adſcribunt metui, quæ conceduntur amore,
Parcitur vtque ſemel, culpa ſecunda ſubit.
Ergo Dijs in eos præſtat mox bella parare,
Ius petit hoc noſtrum, poſtulat atque decus.
Hæc ſemel vt dictis finem eſt imponere viſa,
Triſtis & illac hrimans protulit iſta Ceres:
Vt quæ bella ferunt terris non damna tuliſti,
Fratris ad exemplum, tu modo ſæua petis.
Eſtis & infandis celebres vt cladibus ambo,
Ni pereant homines, Numina veſtra cadunt.
Aſt ego blanda Parens, quæ ſum mortalibus æqua;
Vt ſtent contendo viribus vſque meis.
Vt viuant, patior mea vomere viſcera ſcindi;
Vt pereantque, ſinus ſcinditis vſque meos.
Vt peragant æuum, dum veſtio frugibus arua,
Ignibus horrendis vos ſpoliatis agros.
Plura Ceres ſuper hoc cum prolatura fuiſſet,
Arbiter vnde Deûm forte mouendus erat.
Fœdere quæ nullo, nulla quæ pace mouetur,
Aggreditur dictis talibus illa Deos.
Quis rogo iam timeat fulmen Rectoris Olympi,
Nomine ſi læſo rideat vſque reus?
Et leges quæſo quid contra crimina proſunt,
Cum ſemel admiſſo crimine, pœna deeſt?
Impunes audent dum bella ciere Gigantes,
Fulmina cogatur dira tenere Parens?
Audaces ſæuo præſtat compeſcere bello,
Quæque parant alijs, experiantur ei.
Expedit incaſſum fœdus, pacemve precentur,
Et bello pereant, queis fera bella placent.
Dictis dumque Iouis firmat diſcordia mentem,
In partes animos vt trahat illa ſuas.
Hinc Themis alma verens, terris ne damna ſequantur,
Eſt exorſa modis talibus illa fere.

Non

Non quæcumque Dij possunt; patrare decebit;
Sed quæcumque decent, illa patrare licet.
Ipso iure patet cunctis nihil æquius esse,
Præterit vtque modum, tum perit eius honos.
Tunc alio titulo, verbis alijsque sigillant,
Excessus tollit, nomina datque modus.
Si quoties homines peccarint, fulmina mittat
Iupiter, adstiterit nulla serena dies.
Enitet vtque magis plectendo horrenda potestas,
Sic parcendo magis tum pietate nitent.
Cœci peccarunt, actique furore Gigantes,
Pœniteat facti, sic quoque forsan eos.
In melius vitam at non commutare valebunt,
Horum si plectat crimina pœna modo.
Iunoni placuit Themidis sententia multum,
Arridetque modus, mitior atque via.
Expensisque prius cunctis, quæ dicta fuere,
Sic tentat mentes, alloquiturque Deos.
Concordes animis vos omnes præstitit esse,
Quod secus acciderit, non tamen inde stupor.
Conuenit in multis etenim sententia raro,
Vultque priore loco quilibet esse suam.
Nec damnare velim, quos dissentire videmus,
Est amor vnus eis, sensus at alter adest.
At magis ille placet, quem cerno fouere quietem,
Conuenit hæc etenim, bellaque dira nocent.
Hæc reuocandi animos via si sit sola, sequamur;
Altera si fuerit, prima sit illa Dijs.
Indignum nec eis fuerit, si fœdera tentent,
Inter namque vias, optima mitis erit.
Tum Pater expensis, coniux quæ dixerat alma,
Consilium mutat, menteque fœdus agit.
Aliger, inquit, age, & pedibus talaria nectens,
Hostibus vtque feras fœdera pacis, abi.
Molliculis primum verbis affare Gigantes,
Fœderis & pignus tu simul adde manum.
Imperio viuant contenti, & finibus amplis,
Nec nimis audaces Regia claustra petant.
Consilium mutent, deponant arma, iubeto,
Iussaque ni faciant, bella minator eis.

 Hic

Hic dicto citius properabat adire Gigantes,
Cum Cybele mater talia magna refert:
Vt præsum terris, hominumque arcana recludo;
Dedecus esse putem fœdus inire Dijs:
Nam pacis specie lædunt, & fœderis vmbra,
His est nullus amor, tutaque nulla fides.
Arbiter atque secus, spectem si commoda tantum;
Publica sed fuerint ante ferenda meis.
Quæ Cereris pereunt bona, restituuntur in annum,
Quæ bona nostra cadunt, non renouantur ea.
Quæque ruunt Vrbes, illæ non sæpe resurgant,
Quæ pereunt segetes, tempora prima dabunt.
Attamen haud Cereris, sacræ nec coniugis instar,
Vlla Ioui cupio pacta decora nisi.
Consulo sicque simul supremi Patris honori,
Atque tuo decori, consulo sicque meo.
Hæc simul ac retulit mater Berecynthia proli,
Dirius exarsit, quam prior ira Iouis.
Inde grauesque simul pœnas decernit in hostes,
Et licèt hi cupiant, fœdera nulla velit.
Sic Themide, & Iunone inuitis, atque Minerua,
Quas iuvat alma quies, buccina bella canit.
Tumque Dij, atque Deæ matri assensere minores,
Fortis & Alcides, vt Semelesque puer.
Iussa ferensque Patris proles descendit Olympo,
Bella manu minitans, oreque bella ciens.
At liquidum levibus dum pennis aera sulcat,
Pugnantumque simul conuocat omne genus.
Facta Deûm dictis solitus percellere Momus,
Mendæ vel minimæ parcere quique nequit,
Auribus intentis, vt cuncta acceperat ille,
Plura sigillatim vellicat hisce modis.
Quod superi damnant exemplo carpere præstat,
Quæque semel faciunt, vt facienda probant.
At dum bella gerunt, cur displicuere Gigantes,
Nec vi displiceat quærere Regna Patris?
Æmathium sobolis cur censes nomine dignum,
Subripit effrænus dum bona cuique sua?
Cur dum præstat idem, Cæsar collucet in astris,
Hostes inque tuos fulmina dira paras?

Scilicet,

Scilicet edicam, possum nec vera silere,
Iupiter omnipotens, est modus iste tuus.
Qui reus ille tibi curarit commoda tantum,
Iudicio patret crimina nulla tuo.
Viuere quemque Themis sontem pronuntiet ipsa,
Criminis arguitur ni tua cœpta fouet.
Cur tibi detectus Mauors est risus adulter,
Crimine qui fueris commaculatus eo?
Formis sub varijs, quod sat testantur amores,
Clara micans cœlo, progeniesque tua.
At Gradine Pater, gaudes qui bella ciere,
Quique manu strenuus nil, nisi dira, petis.
Fulmine quique Iouem cupias mactare Gigantes,
Quique foues iram, consilioque iuvas.
Sanguinis an ne precor satis efusum extat in Orbe?
Num stet vt imperium præstat, vt ille cadat?
At nisi decipiar, cecidit tua signa secutus,
Illa sequi pergens, aut cadet ille modo.
Felices adeo ne tui sunt quæso sequaces,
Ut quoties cupias horrida bella probent?
Quis ve truces iras, labes posſitque referre,
Quæ rogo tuta fides, quis scelerum ve modus?
Expedit, at dicas, gentes pacare rebelles,
Læsa fuere quibus numina nostra modo.
At nullis quæso violasti numina noxis,
Propter quas esset pœna luenda tibi?
Ullo si nunquam læsisses crimine Diuos,
Virgo, non Mater Bistonis vsque foret.
Ulta virum Progne volitet nec mœsta volucris,
Nec Philomela soror, nec perijsset Ithis.
Nec violare fidem promissam visa marito,
Esset pulchra Venus, dedecus vnde tulit.
Tu belli Præses sapiens, & docta Minerua,
Fœdera quæque Deos pacis inire cupis.
Consilium mutans vt nunc meliora probasti,
Diceris è cerebro filia nata Iouis.
Insinuans pacem, verum belloque repugnans,
Cur armata precor, cur galeata venis?
Paciferam ne magis te læta decebat oliua,
An magis armigeri te precor arma decent?

Inuentrix belli es, verum turgeſcis oliua,
Et dedit illa decus, nomen & illa dedit.
Munera grata manu prave mortalibus æqua,
Dira ſoror Martis ferrea bella gerat.
Hoc Bellona furens tantum præſtare valebit,
Tu tibi, crede mihi, munia pacis habe.
Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem?
Si bene nunc memini, ſic Iuvenalis ait.
At mihi ſic referas, Bellona armata videtur,
Eſto ſed illa tamen te minus arma decent.
Atque Minerua tuum ſignum eſt vt pacis oliua,
Ornatu, vt ſignis, tu quoque ſigna refer.
Sed non arma modo Bellonæ cede furenti,
Menteque mutata cedito bella ſimul.
Tu Bellona ſoror Martis, quæ dira pererras,
Horrificas acies ſanguine cuncta replens.
Quæque nigro ſeruans atrum ſub corde venenum,
Horrida ſemper eo tum quoque corda premis.
Et quæ fratris equos pugnaces ducere docta,
Enectoſque fame ſanguine paſcis eos.
Haud equidem miror, quod turbæ admota Deorum,
Inter eos agites triſtia bella modo.
Ira, pauorque placent, clamor, terrorque miniſtri
Fratris, pax equidem diſplicet alma tibi.
Semideos ſatis eſt numquid cecidiſſe peremptos?
Si fieri poſsit vis, pereantque Dij?
Crimina mente ſua ſeruet ſi Rector Olympi
Geſtis dira quibus, numina quæque dolent.
Senſum dira tuum, merito iam te que peroſus,
In terras abigat, pellat & Orbe ſuo.
Bellonæ comes atrocis diſcordia demens,
Quæ manibuſque tuis flebile nectis opus.
Sæpe quibus validas moles, quæ concutis ipſas,
Qua nihil vſque manet, Regnaque ſæpe ruunt.
Inuidia motæ tandem cui cura furenti,
Diſſociare fuit numina magna Deûm.
Unde fauor Veneris, ſæuæ Iunonis & iræ,
Iraque nata ſimul Palladis vnde fuit.
Æmula viſa ſimul ſemper fuit vnde poteſtas,
Et vix inter eas conciliatus amor.

Excidium Trojæ, clades multæ vnde secutæ,
Quas non nemo dolet, vixque referre queat.
An cunctas referem, quæ multis inde minantur,
Si manet ira Dijs, vt manet illa quidem?
Nullo namque modo pangi nunc fœdera possunt,
Concordes animos nec reuocare datur.
Scilicèt vt mentes atrox discordia turbas,
Infensas nemo conciliare potest.
Aut erit ardua res saltem componere lites,
Quod nimis ostendit mens agitata Deûm.
Et nisi sufficiat nostro quod cernitur æuo,
Quæ nos edoceant tempora prima dabunt.
Num precor innatos genitor te consule sæuit,
Atque parem retulit Iupiter ipse Patri?
Exilium ne pati fuerit Cyllenius olim
Iussus, ei damnum, dedecus vnde Ioui?
Te spirante, rogo, diraque docente ministra,
Num præceps Phaeton nobilitauit aquas?
Absoluam paucis, in te queis plurima dicam,
Non Bellona foret, tu nisi nata fores.
Alma Ceres verum perfracto mœsta pudore,
Crimen & alterius docta dolere nimis.
Quæsisti latebras nimio quæ victa labore,
Orbus & vnde diu frugibus Orbis erat.
Si tibi dura fuit tantum tolerata libido,
Si tantum potuit virginitatis amor.
Cur hominum mater possis præsentia ferre,
In re tamque graui tam patienter agis?
Nec satis esse putes illorum damna dolere,
Non iuvat ille dolor, cui medicina deest.
Mortales inter vere si fœderis almi,
In mentes cupias vt revocetur amor.
Cœlestes animos optes si fœdus inire,
Hæc via si sapias, est ineunda tibi.
Plura memento tuo precor obtinuisse recessu,
Hoc si præstiteris proemia certa feres.
Hoc homines, Diuosque simul percusseris ictu,
Si prius, vt primis, dura negabis opem.
Prosperitas animos, vires dat copia rerum,
Cum semel atra fames hos premit, ira silet.

Nec

Nec bona tu renuas tantum, ſed damna minator,
Vincere quo poſsis, hic modus alter erit.
Sæpe minanſque tamen, ſemper ne tu mala mittas;
Quam mala, ſæpe facit plus timor ipſe mali.
Tumque metu vinci nequeat, ſi dira poteſtas,
Quæ deceant iras, fulmina mitte manu.
Succedet pietas, poterunt qua Numina vinci,
Ne pereant homines, tum pia ferre queant.
Sic voti compos fueris, ſic fœdera pangi,
Cernas, perpetuo ſit decus vnde tibi.
Sacra Themis, venerata fuit quam recta vetuſtas,
Tempus cuique nouum debita thura negat.
Quæque coacta virum petijſti crimine cœlos,
Hic tua iure putans Numina ſancta fore.
Pœniteat forſan viſis, quæ cernere fas eſt,
Has adijſſe domos, vix vbi iura manent.
Ex dictis etenim noſtris te noſcere credo,
Hic quoties operis lex tua læſa fuit.
Non violanda tamen fuerint tua Numina nobis,
Nec ſanctos decuit ſpernere iura Deos.
Nam precor, illæſum quid ſit mortalibus vllis,
Exemplo Diuûm, ſi licet omne nefas?
Progenies Cœli cum tot delicta patramus,
Num terræ ſoboli conuenit eſſe piæ?
An nos edoceat iuriſve exempla miniſtret,
Quæ tot patrantes nos ſine lege videt?
Cur mirumque Ioui, quod nunc ſibi bella parantur,
Quod tentant homines, fecit & ille Patri.
Viribus hunc etenim potuit depellere Regno,
Quod modo ſuſcipiunt, finijt ille quidem.
Nec tamen inficiar grauiter peccaſſe Gigantes,
At grauius peccat, qui nocet ille prius.
Plures namque ſuos norunt hinc lædere patres,
Plures inde velint lædere ſæpe ſuos.
Conſilium ſane dederas nunc mite ſequendum,
Quodque ſequutus erat, Iupiter ipſe Parens.
Nouimus at quantum nunc quædam numina poſsint,
Mitia cum diris prætulit ille modo.
Exitus at breuiter poſsit decreta probare,
Hic ſit vt exopto, decipiar que velim.

Pulchra soror verum, magni coniuxque Tonantis,
Pax opera cuius restituenda fuit.
Quo pacto cecidit, fueritve minuta potestas?
Sic coniux renuit, sicque petita negat?
Illiadumque potens quondam subvertere muros,
Nunc vt stent alij, nescit adire viam?
Intererat ne parum starent vt Pergama Teucris?
An magis intererit, si noua Troia ruet?
Si cupias (vt ais) vere nunc fœdera pangi,
Bella quietis amans, si quoque dira times.
Cum nihil obtineas precibus, nunc adde querelam,
Hæc nisi sufficiat, iungito, crede, minas.
Vxorem deceant, quæ se cognouit amari,
Ne moueant iras, sint tamen vsque leues.
Consilium fueris quoties hoc sponte secuta,
Hoc adhibens quoties munera certa feras?
Quid tristes oculi, lachrimæ possint quid obortæ,
Non te Diua fugit, Numinibusque pater.
Vtere more tuo, licitas nec spernito fraudes,
Dum species manibus porrigit arma tuis.
Pulchra manet Diuis species labentibus annis,
Sic ais; at rogito, num manet vsque fides?
Inuita specie fueris num læsa marito?
Lædere quique scijt, lædere nonne potest?
Arte nimis quæso nudæ non fidito formæ,
Quæ placet arte carens, hæc placet arte magis.
At quoties placuit, rebus fueritve necesse,
Ars formæ nunquam defuit ulla tuæ.
Tu Cybele mater, Diuum quæ prolis honore,
Præ cunctis alijs lumine clara nites.
Vnde furor mentem tantus percellere cœpit,
Vt te progenies consule bella gerat?
Pulchrius an quid erit grata quod pace fruatur,
Debet vt esse Deûm turba quietis amans?
At veterum credam te nunc meminisse sacrorum,
Sanguine cuncta fero, quæ celebranda forent.
Hoc crudele nimis verum Berecynthia tempus,
Transijt, & lenem te decet esse magis.
Hoc equidem, decoris te nunc inijsse sub vmbra,
Consilium fatear, quod tibi nemo negat.

Quæ d᷒cuere tamen, ne credas nuncque decere,
Mitia crede magis tempora nostra petunt.
Conueniens alicui, non omni conuenit æuo,
Et quæ conueniant, nos magis ista decent.
Consilium sapiens vertit, nec Numina semper
Non mutanda putant, quæ statuere prius.
Vtque suas Diuos iras placare decebit,
Sic animos constans dedecet ira suos.
Pergrauis, at dices, facta est iniuria nobis,
Esto, sed an veniæ gloria maior erit?
Nec tenui magnum, credas, ignoscere culpæ
Nam leue quæque leuis res decus vsque parit.
At quoties tenuem noxam quis vindicat vllam,
Vindicta toties læditur ille sua.
Quod nisi forte suæ respondeat vltio menti,
Inde sibi veniat dedecus, atque dolor.
Vidimus hoc quoties, & quam contingere multis!
Heu ne fata sinant experiamur idem.
Tristia bella nimis, non vnus cantet Homerus,
Tunc pluresque canant non memoranda Dijs.
Nemo trophæa quidem (dices) non nostra reponat,
Innumeri referant, factaque nostra canent.
Gloria sed nobis vnam tot vincere gentem,
Parua sit, ast ingens, si secus, inde nota.
Tempore nostra precor longo venerata potestas,
Omnibus an fuerit despicienda modo?
Nulla quidem videas huic componenda periclo,
Ast erit in cunctis hæc fugienda lues.
Cœlestis Patriæ Patres, & Numina cœli,
Ne mea, si sapitis, spernite dicta rogo.
Vnde salus veniat, nec qui medicamina tradit,
Prospicit æger enim, qui bene mente valet.
Respicit at tantum, valeat qui ferre salutem,
Optima quæque manus, quæ modo præbet, erit.
Nec spectanda magis multis sunt flumina lymphis,
Si modo damna ferant, si liquor vsque nocet.
Nobilior multo fuerit, sed riuulus ille,
Quisque salutiferas, qui dare posit aquas.
Sim licet inter vos, habear minimusque Deorum,
Haud tamen inter vos despiciendus ero,

Vos decet vt cunctos, quærentes vtile vestrum,
Si mea, par vt erit, pendere cuncta iuvat.
Et bene perpensis, omni affectuque remoto,
Tum quoque, par vt erit, si modo iusta placent.
Expedit vt tandem, si vestra mente tenetis,
Quæ dixit sapiens filia docta Iouis.
Alma Ceres dixit, placuit Themidique referre,
Et quæ Iuno potens addidit illa simul.
Mentibus at vestris nihil est hæc cuncta tenere,
Sed properare labor, consiliumque sequi.
Ardua namque solent vt sollicitudine vinci,
Plura mora pariter non operosa cadunt:
Labitur atque fugax nobis occasio præpes,
Quæ semel effugiat, non reparante die.
Hæc vbi Momus ait, perrupit vincula somni,
Aliger Interpres, progeniesque Iouis;
Alarum strepitu referens responsa Parenti,
Concutiens Cœlum, voceque bella ciens.
At placido mihi, pergrato somnoque soluto,
Non equidem licitum noscere plura fuit,
Rebus & in cunctis, fallax vt ludit imago
Quoslibet, & quævis somnia vita refert.
Vanuit ex oculis species, quæ luserat ante,
Et mihi nil aliud, nunc manet, vmbra nisi.
Præterea at vigili, tandem quid quæso manebit,
Cui fortuna fauet, quem modo ludet ea?
Exutus ne bonis, fuerit queis ante potitus,
Somnia longa magis dixerit esse sua?
Et longum tandem, felix qui duxerit æuum,
Num pariter moriens, somnia cuncta putet?
Si vigil est igitur, per somnum; cuncta videre
Qui putet, vt dormit, qui vigilare putat.
Quam pauci vigilant! plures quam decipit error!
Quam multos vigiles mortis imago tenet!



ODARUM LIBER UNUS.

Ad Celsissimum Comitem L.

ODE. I.

SI Velis gratus memor esse nostri,
Et cupis solatia tristi egeno,
Comiter præbere simulque curas
Tollere nostras.
Non vt in somnis mihi Phœbus olim,
Irritum des consilium precamur:
Oro, des lapsis, ope, sorte dira,
Surgere rebus.
Spem salutis naufraga nauis vnam,
Nostra habet, quæ si pereat, caduca
Illa mœrens decidet, & iacebit
Mersa sub vndis.
Quid, precor, promissa valent iuvare
Lentus his dum stas, quasi stare nolis?
Durius num semper opem negabit
Segnis in illa?
Num moraris, dum Libitina nobis
Auferat quidquid superest diei?
Sed mihi quid profuerit fides post
Funera mœsta?
Munus vt cuiuis queat esse gratum,
Expedit velox veniat citumque:
Accidit, quæ credito, tarda nobis
Gratia non est.
Debiti nomen, fauor ille semper
Obtinet quicumque piger, nec vlli,
Qui gradu lento veniat rependi
Præmia debent.
Hac via deperdimus ambo, namque
Dum fugax occasio calua transit,
Tempus & velox fugit, ipse facti
Perdis honorem.

*** *** ***

AD ILLVSTRISSIMVM, DILECTIS-ſimumque Amicum, in diuitias.

ODE. II.

CÆpiſti quod iter pergito nobile,
Et vitæ tibi nunc, ſemita quæ prior
Electa ante fuit, firma ſtet, & rata:
Quamvis vtilitas lata tibi queat
Manare ex alia, quod tamen haud putes.
Doctas Pierides, Palladis & decus
Vt ſemper colito; viuere ſi cupis
Felix: namque, cedo, quomodo, qua via,
Quam nunc es valeas eſſe beatior?
Eſto ſint vel opes inuideat, quibus
Crœſus ſi ille redux Tartara linqueret,
Immaniſque Dei linqueret & Domos
Atras, non dubites quod ſuperent opes
Ditis, quas dederint Caſtalides nouem
Noſtræ laurigeræ Pallas & innuba,
Quas largita tibi eſt, certius eſt nihil,
Rem ſi reſpicias, inter enim Deos,
Quos ætas coluit credula plus ſatis
Quis felixque minus diteque ditior?
Vt cui vix habitus ſit, niſi atrox honor.
In quem & ſæpe furor dira precatus eſt:
Hinc quæ ſint & opes noſcere dum licet
Quæ ſint imperio Tartarei Ducis,
Submiſſæ, immerito fabula nec dedit,
Atras diuitijs has Erebi domus.
Qui non vtitur his, poſsidet aut male,
Quæ partæ fuerint artibus improbis,
Secum fert Erebum, tortor erit ſui,
Et ditem referet, qui cupiat quoque
Plures quam dederit proſpera ſors ei,
Semper creſcit enim dira fames opum;
Et qui plus habeat, plus cupit aſſequi,
Sed quas poſsideat perdere qui timens,

Illis

Illis inuigilet, noctibus & putet,
Audit si strepitum, quod latro iam fores
Rumpit, diuitias diripit & suas,
Lymphas iam stygias nauigat hic quoque.
Et qui seruat opes, nomina dum manent,
Quæ iam sollicitus creditor exigit,
Qui frustra ingeminat dum timidas preces,
Tum vanam nisi spem consequitur nihil,
Sedes Tænarias iam tenet, & loca
Tristis coeca Dei, dilapidat suas,
Et qui diuitias, quas peperit Parens,
Pœna peruigili seruiat vt suis
Tantum delitijs, precipiti gradu
Tum sedes Erebi tendit in horridas,
Qui siccis oculis plenus opum videt
Pressum pauperie, subueniat neque,
Et lautis dapibus quique cibis grauis,
Alter non caueat ne pereat fame,
Squallentes Erebi iam peragrat Domos.
Magnas propter opes fronte superbiat,
Elata si aliquis, semper vt euenit,
Idcirco miseros temnat, & indigos,
Atri Regna Dei lurida iam petit.
Insunt hæc opibus certa pericula,
Quæ nullus fugiat, plus satis vt liquet,
Has qui possideat, qui cuperes rogo
Tetris, cum sapias, casibus his premi?
Et qui diuitijs Aonidum potens,
Illis anteferas nunc miseras opes?
Et sacros valeas prodere nunc choros.
Absit consilium tàm, precor, improbum,
Quo crescant vt opes, gloria fit minor,
Vno proque bono tot mala ne feras.
Amplæ namque domi sint tibi non licet,
Res at sufficiunt, ipse fateris vt
Et nil si cupies deficiet nihil:
Verum forte tibi si secus accidet,
Cunctis tu careas plenus opum licèt,
Vitam protrahito cui satis illa sunt,
Quæ fortuna nimis parca tibi dedit,

Suf-

Susceptumque prius pergito sic iter,
Sic semper studeas Pieridum artibus,
Sic nomenque tuum sit memorabile,
Sic semper mereas laudibus evehi,
Sic nos perpetuo diligito precor.

AD FORTVNAM.

ODE. III.

PRænestina leuis Dea
Lusisti toties improba spem meam;
Quæ & semper mihi ferream
Te præbens, precibus, dura negas opem,
In rebus, rogo, cum meis
Tu præstare velis: quam tibi nunc fidem
Posśimus dare, sit licet
Arridens facies, oreque blandulo
Nunc solatia spondeas;
Aura mobilior, stareque nescia
Cum sis. Parcito sed Dea
Hi questus etenim non miserum decent;
Diui iurgia nec probant.
Grates præstiterit reddere nunc tibi,
Quæ succurrere iam pares,
Et finem statuas ponere tristibus,
Mox arriseris vt mihi,
Maiorisque boni spes quoque luxerit;
Quæ me deseruit prius
Faustæ sortis amans, turbaque perfida,
Ad nutusque tuos leuis,
Mutarique valens, tunc properans redux
Non grati officij genus
Ullum prætereat, quo studium mihi
Posśit pandere feruidum.
Sed fortuna rogas accidet hoc vbi,
Quid nobis faciendum erit?
His paucis referam, qui studij induunt
Laruam, prospera dum manes,
Et secedis vbi, tunc abeunt simul

Ne

Ne, si forte recesseris,
Secedant iterum, ludificauero
Fallax officium prior.
Dimissis nec eis dixero tunc, vale.

AD AMICVM, CVI AVTHOR EST, vt aduersæ præteritæ sortis mœrore deposito, benigna præsenti quiete fruatur.

GRamina campis vndique cernis læta jam redire
Ver vt reuertit, frondibusque densis.
Ante fuit quæ nuda, vides nunc vt virescit arbor,
Manent nec vlli signa quæ fuere
Dura laboris, hiems dum pressit. Iam fluenta cernis,
Vagosque fontes, qui gelu rigebant,
Cum rapidus Boreas perflaret, nunc rigare lætos
Agros feraces Sole iam tepente,
Carcere perrupto, atque loquax auis & canora densas
Superque frondes nidulatur altas,
Vnde docet modulamine syluas personare dulci,
Gratesque veri florido rependit.
Iam natura oblita malorum ridet, & sereno
Vultuque grato, rusticis auaris
Fœcundas segetes promittit prœmium laboris,
Agris & amplis fertiles aristas.
Matrem naturam sequere almam, sorte nunc benigna
Fauente rebus, nec tenax doloris
Ingrati æui præteriti memor, abnuas leuamen,
Quod dulce amaris sors amica præbet.
Nec timor insomnis præcordia torqueat futuri,
Frui beatis dum licet diebus.
Sponte sua miser ille est, qui mala lugeat futura,
Tu quæ modo instant hæc doleto solum:
Nulla premant tamen (oro) sed tibi sortis aura faustæ
Fauere pergat, spiret & perennis.



EPIGRAMMATVM LIBER PRIMVS.

IN PESSIMVM NEBVLONEM.

Cum ſit peſsima peſtis, cum mala ſintque venena, *Epigr. 1.*
Sit mala ſeditio, bellaque cum mala ſint,
Cum queuis mala coniux ſit quoque non leue damnum,
Reſque malæ ſocrus, febris & arida ſint,
Omnibus his peior cum ſit penuria tandem,
Cætera cum mala ſint, quæque referre pudet,
Eſt aliquid peius tamen, eſt quid durius illis,
Qui bene te nouit, quid ſit id ille capit.

IN ARCMVM MVLTA PROMITTENTEM, *nihil dantem.*

Quod promiſſa haud ſerues te quiſque increpat, Arcme, *Epigr. 2.*
Immeritò ſane, nec bene cognitus es.
Nam meliùs quæſo ſua quis ſeruare valebit,
Quam ſeruare vales, nil dare cum ſoleas?

CARPITVR PAVLI ADVLTERA VXOR.

Se iactat Paulus ſua quod ſit Galla venuſta, *Epigr. 3.*
Ad numeros ſaltet, quod fidibuſque canat,
Cum Venere ipſa quòd poſsit contendere forma,
Et ludis illam quod ſuperare ſciat,
Hoc norunt plures, hoc multi dicere poſſunt:
Res ita quod ſe habeat neſcit at ille tamen.
Sic alijs infelix, eſt felix ſibi tantum,
Eſt ita lugendus, delicijſque miſer.

IN ADVLTERAM LAIDEM.

Pauper erat Phormo, vxorem quam duceret ante, *Epigr. 4.*
Formoſam Laidem, quæ quoque pauper erat.
Ducere cœpit vt, ille ſtatim diteſcere cœpit,
Sic & Amalthæa eſt, quæ Lais ante fuit.

IN PHILLIDEM GRAVE OLENTEM.

Epigr. 5. Frons candore ſuo tua Phyllis lilia vincit,
Eſt nitidus que genis, purpureuſque color.
Ac bene tu loqueris, fidibus tandem occinis æque;
Eſt lepor in dictis, gratia multa ſimul,
Has tamen ob dotes, quamuis tibi Mater amoris,
Inuideat Phyllis, baſia nolo tua,
Et cur des nolim, ſi nunc tibi diſcere mens eſt,
Toxica des nolo purpureo ore mihi.

IN EANDEM.

Epigr. 6. Auditus tua verba quidem dulcedine mulcent,
Et longe auditis gratius his nihil eſt.
Verba ſed illa tamen nares fœtore laceſſunt,
Nos propriúſque loquens, inficis ore tuo.

IN EANDEM.

Epigr. 7. Auditus noſtros, nares noſtraſque laceſsis,
Os tibi fœtet enim, famaque peius olet.

IN ARCMVM.

Epigr. 8. Cum bene facturum te nobis innuis, Arcme,
Pollicitis haud ſtans, tunc male ſemper agis;
Te male facturum nobis promitte aliquando,
Haud ſtans promiſsis, tunc bene forſan ages.

AD BALDVM.

Epigr. 9. Munera ſcire optas cur, Balde, ambire recuſem,
Quæ mea ſit ratio, dicere nuncque placet:
Lætus ero, mihi ſi fuerint conceſſa petita,
Triſtior aſt eſſem, quodque negata forent.

IN QVEMDAM NOBILEM, QVI ACCEPTIS *Authoris Carminibus, nil reſcripſit, nec reſpondit.*

Epig. 10. Aut bene non capit ille mea, aut non carmina lègit,
Qui potuit lectis ſcribere tumque nihil.
At lectis, vel non, male ſic ſibi proſpicit ipſe,
Scilicet ingratus, vel piger, aut rudis eſt.

AD

AD ALNVM, QVOD SE AB HOMINE DOLIS notiſsimo decipi ſineret. Epig. 11.

Fraudibus, Alne, ſuis cum ſit tàm cognitus Arpax
Cuilibet, vt minime notior eſſe queat:
Cur quereris, quæſo, quod te deceperit ille,
Et tua damna auges queſtibus hiſce tuis?
Non pietatem in te, ſed crede mouere cachinnum,
Arguis vtque vafrum, te ſtolide inſimulas.

LAVDATIO PROBI, PRVDENTISQVE VIRI.

Qui tua facta videt, tunc te putat eſſe columbam, Epig. 12.
Serpentem credit, diffugis vtque malum.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Exoriens quæris quare vix reſpicitur Sol,
Spectaturque parum, cum fugit ille ſemel. Epig. 13.
Exoriens in nos confert nil muneris ille,
Nec pariter confert, cum ſemel ille cadit.

IN AVARVM, ACCIPERE RENVENTEM, ne retribuere cogatur.

Qua ratione regi cupias, mihi dicito quæſo, Epig. 14.
Si tibi do, renuis; ſi peto, tumque negas:
At cur non capias, capio, dare cur quoque nolis,
Quæ tibi dona placent, dona referre times.

DE VNITATE.

Me numerum, ſolus quod ſim, nullus putat eſſe, Epig. 15
Principium numero nos tamen ecce damus.
Nullus ineſt in me, aſt ego ſemper in omnibus adſum,
Primus vbique mihi eſt inter eoſque locus.

IN HELLVONEM.

Vt ditiſsimus Aulax es, valdeque guloſus, Epig. 16.
Viuere te laute, cuilibet ipſe refers;
At precor, inde tibi quod lucrum, quod decus inde?
Pluris vt ægrotes, ſunt bona quæſo data?

*** *** ***

LAVDATIO EXVLIS VIRTVTIBVS ORNATI.

Epig. 17. Hic valet, vt video, quæ lex pollebat Athenis,
Plectitur exilio, qui meret ille nimis.
Maior at vt virtus eſt, ſi magis exulat, Aule,
Exilium meruit longius ecce tua.

AD DEBITOREM.

Epig. 18 Quinquaginta argenti ſoluiſti mihi nummos,
Suntque decem reliqui, quos dare promptus eris;
Munificus poteris, ſic æquus, ſic ſimul eſſe,
Nam mihi quod ſolues, muneris inſtar erit.

IN CODRVM PERPETVO LECTO HÆRENTEM.

Epig. 19 Cum valeat Codrus, mirari haud deſinis Albe,
Quod tamen in lecto perpetuoque iacet.
Vt ſit firma ſalus, mens debet noſtra valere,
Qui male habere putat, non valet ille bene.

Epig. 20. QVOD SIT DISCRIMEN INTER LACHRYMAS, *quas naſcentes fundimus, & quæ funduntur, cum morimur.*

Quo, rogitas, diſtent luctus præludia vitæ,
Et lachrymæ in letho fundere quaſque ſolent,
Lugemus merito paſſuri, quæ mala ſimus,
Quæ bona nos maneant, immerito querimur.

IN FALLACEM.

Epig. 21 Fallere quam doctus ſis, paucis vis tibi dicam,
Credit Hylas cunctis, non tamen ille tibi.

NON LONGA SVNT EPIGRAMMATA, *ſi bona ſint, at ſecus.*

Epig. 22 Vel bona, vel mala ſunt, quęcunque Epigrammata ſcribo;
Si mala, curta licet, ſunt quoque longa tamen:
At bona ſi fuerint, credo longiſsima quamuis,
Omnia curta tamen cuilibet illa fore.

EPIGRAMMA IOCOSVM.

Epig. 23 Sponſam vnam nobis, plures ſed ducere Turcis,
En licet & magis eſt ſarcina noſtra grauis.

At

At quo pacto? Audi. Cunctas dimittere possunt,
Vna manet nobis, sors nisi tollat eam.

IN TARDVM, IN PROMISSIS SERVANDIS. Epig. 24.

Bis dat, qui cito, vulgaris sententia dicit,
Tu bis non equidem, vix dederisque semel.

DE THEMIDE, TRVTINAM PRÆ MANIBVS habente. Epig. 25.

Cum credis Themidi trutinam non vtile pondus,
Illo judicio falleris haudque parum.
Non merita illa quidem fateor, non crimina pendit;
Auri sed pondus, pendere quam bene scit!

CVR NOX GRAVIS, CVR DIES GRATA SIT. Epig. 26.

Cur grauis est nobis nox, quare grata dies est?
Vt nocet, indeque nox, exque Deo alma dies,
Nomina sortitæ sunt, vnde ergo placet ista,
Illaque displiceat, quærere non opus est.

IN IDEM ARGVMENTVM. Epig. 27.

Cur tenebræ iniucundæ oculis, cur lux placet illis?
Vitæ ea, nox obitus, ficta tabella patet.

IN THRASONEM VERBA FVTILIA iactantem, atque stolidè minantem. Epig. 28.

Insana vt mulier lingua conuicia fundit,
Ore tuo ducis nil nisi vana probra,
Vt contra Solem pauidarum cum volat agmen
Muscarum, murmur mitter e nil nisi scit.
Tu pariter tantum verbis nunc conteris hostem,
Inque illum fatuos euomis ore sonos.
Quid sine fulgure (dic mihi) vana tonitrua prosunt?
Viuet, quem morti destinat ira tua:
Dumque minas in eum, dum garrula verbera iactas,
Veris verberibus cæsus & ipse cadis.

LITTERIS, ET ARMIS STANT IMPERIA. Epig. 29.

Dum Themidis tantum in Sinis altaria fumant,
Armis nil tribuunt, omnia dantque Togæ,

Tunc

Tunc solitus jactare manu tela horrida Martis
Impetit incautos Sarmata belli potens.
Imperium, Reges, cupitis durabile vestrum?
Et Martem studijs, & Themidem colite.
Hisque columnis nixa manebit vestra potestas,
Vestrum, si vna deest, imperiumque ruet.

SIMILITVDO ROSÆ CVM PVLCHRITVDINE.

Epig. 30. Persimiles inter se sunt Rosa, pulchraque forma,
Sic vtraque inque die nascitur, atque perit.
Forma, mihi at dices, bis denos durat in annos,
Anni bis deni quid, nisi sola dies?

INCREDVLITAS, ET CREDVLITAS.

Epig. 31. In quo incredulitas differt à credulitate?
Scilicet illa nihil, credit & ista nimis.

QVIS SIT IN CREDENDO MODVS.

Epig. 32. In rebus credendis, fac medium tibi, quæso,
Saltem & in humanis iam teneatur iter.
Est prudentis enim multorum credere quædam,
At stolidi semper credere cuncta fuit.

IN ALIQVEM DE AVTHORIS FORTVNA inquirentem non satagentem.

Epig. 33. Num bene sit mihi, num faueat fortuna, requiris,
Quæque tamen rogitas, hæc tibi cuncta patent.
Aut medicare precor, vel da mihi damna tacere,
Languent dum sileo, dum loquor illa vigent.

IN DISCIPVLOS SIBI NIMIVM ARROGANTES.

Epig. 34. Mox ex discipulo quisquis vult esse magister,
Non baculo innixus cœcus inibit iter.

IN IDEM FERE ARGVMENTVM.

Epig. 35. Quod cupiant cuncti esse magistri, nosque docere,
Hoc licet indocti, munus obire velint.
Libertatis amor facit hoc, mouet haud amor in nos,
Discere, seruire est, qui docet, ille jubet.

MORS,

MORS, QVÆ NOS A CALAMITATE LIBERAT, non lachrymanda est. Epig. 36.

Perpetuo luctu cum sit dignissima vita,
Mors vbi nos redimit, cur lachrymanda precor?

IN IDEM FERE ARGVMENTVM. Epig. 37.

Viuere cum non sit, longos perferre labores,
Finis eorum, mors dicitur immerito:
Vita quidem sic, mors contra mors vita vocetur,
Hæc diuerticulum, postera nostra domus.

QVODNAM SIT DISCRIMEN INTER fidem, & credulitatem.

Dissideant à se quantum, si noscere quæris, Epig. 38.
Cauta, tenaxque fides, vanaque credulitas:
Scire potes breuiter, si quantum dissita virtus
A vitio maneat, tu modo scire vales.

IN HELLVONEM.

Accersis medicum? Semper cur pharmaca quæris? Epig. 39.
Cum minimo sumptu, Paule, valere queas:
Ingenio tantum, atque gulæ indulgere recusa,
Firma salus aderit, si modo mente vales.

IN MALAM JVSTITIÆ DISTRIBVTIONEM.

Totque Senatores, tot justitiæque Ministros Epig. 40.
Inter, jus nullum viribus ecce valet:
Ad superos ex quo fugiens Astræa recessit,
Nil, nisi justitiæ nomen, inane manet.

ROSÆ INSTAR MOLLIA PEREVNT, quercus ad exemplum fortia permanent. Epig. 41.

Tempore multo equidem quercus, multoque labore
Crescit, at vt creuit, jugiter illa viget:
At calycem rosa Phœbi vt primum pandit ad ortum,
Cum cadit ille semel, tunc perit illa simul:
Hæc discrimina sortis ne miremur earum,
Mollia sic pereunt, fortia sicque manent.

IN IGNARVM, INVIDVMQVE, MALE DE Carminibus in argumentum infrascriptum sentientem.

Epig. 42. Jam Patriarchæ almi nostri Diuique Ioannis
Perpetuam in laudem, perpetuumque decus;
De tot carminibus, quæ tot scripsere Poetæ,
Pollo rogatus vt est, an bene scripta forent;
Quod male respondit; videatur ne tibi mirum,
Condidit ex illis carmina nulla quidem.

IN EVNDEM.

Epig. 43. Immerito sane tu contristaris, amice,
Quod Pollo, vt fama est, dixerit esse mala,
In laudem quæ cuncta Ioannis scripta fuere,
Illa etenim satis est, vt bona quisque putet.

IN EVNDEM.

Epig. 44. Ingenio valeat si tanto, vt carmina, Pollo,
Quæ bona, vel mala sint, illico discutiat,
Judiciumque ferat de alienis ille supremum,
Cur sua condiderit non meliora precor?

QVOMODO REGES AB EXTERIS TIMEANTVR, à subditis diligantur.

Epig. 45. Externi timeant, Rex, vis Populus te amet æque?
Hoc facies, justus, si fuerisque potens.

IN AVRVM SE ARCANVM, ET TECTVM esse iactantem.

Epig. 46. Tectus homo quod sit, se vxori iactitat Aurus,
Et læuam lateat dextera quodque facit.
Ejus ad exemplum est conjux plus docta tacere,
Tecta licet sit enim, se tamen esse silet.

DISCRIMEN INTER GALLOS, ET ANGLOS.

Epig. 47. Tertius, vt Quartus Gallorum nomine Reges,
Alter & Henricus, quique Secundus erat.
Ferro diro equidem tres hi cecidere Monarchæ,
At dedit & Primo dura palæstra necem.

Tertius infandi perijt Monachi ense cruento,
Sustulit & Quartum laicus, atque furens;
Inter at hos luctus hilares Galli esse potestis,
Quod vestra haud fuerit contemerata fides.
Lugete at Populi, quorum conuentus iniquus
Occidit Dominum, carnificisque manu.
Lugete at Populi cœtus queis perfidus æque
Nunc Patrijs Dominum cogit abire locis.

IN ALEXANDRVM.

Pellæus juvenis, cui vix suffecerat Orbis, Epig. 48.
Interdum seruus, Rex aliquando fuit.
Vt vino abstinuit, tum Rege erat æquior vllo,
At nimis ille bibens, illicò seruus erat.

EPIGRAMMA CONSOLATORIVM.

Quæ merito tribui debebant præmia vobis, Epig. 49.
Immeritis data sunt Iudicis arbitrio.
Hac ratione potestis damna rependere vestra,
Est habuisse minus, sed meruisse magis.

IN IDEM ARGVMENTVM.

Sub specie tandem falsa certaminis æqui, Epig. 50.
In quo pro meritis præmia cuique forent.
Cum Phœbi ad luctam clari inuitantur alumni,
Hac spe, fas vt erat, nil ibi inesse doli:
Legibus inuitis, tum spreta & Apollinis ira,
Nullus vt inter eos arbiter æquus erat.
Quilibet ex illis sua tunc suffragia vendens,
Cuilibet immerito præmia distribuit,
Sic dare quæ Themis, aut debebat docta Minerua,
Aut fauor erga homines, aut Venus alma dedit.

SE BENEFICII, NON INIVRIÆ, MEMOREM profitetur.

Non odio natus, grato sed natus amori, Epig. 51.
Nescio vindictam, munera grata scio.
Corde cito quæuis damni deletur imago,
Ast impressa manet quælibet vsque boni.

***   ***   ***

Epig. 52. AD AVGVSTVM CÆSAREM.

Liuia ni tibi, neve fuisset Iulia Cæsar,
Nulla foret major prosperitate tua.
Sic elegis vt dignus es, vt Pater atque maritus,
Sic Pater vt Patriæ, dignus es elogio.

Epig. 53. ANIMI MOERORЕМ EXPONIT.

Tam grauibus curis sic perpetuo angor, amice,
Vt nox nulla mihi, sit mihi nulla dies.
Vt nox, tristis enim semper mihi præterit ista,
Illa mihi vtque dies, irrequieta fugit.

Epig. 54. IN IMPRVDENTEM PATREM.

Cum puero infanti induitur ditissima vestis,
Ridiculos ambo vos, mihi crede, facit.
Ignoras etenim quod das, vt quod ferat ille,
Vel dare si posses, hæc renuenda foret.

Epig. 55. IN MVLIEREM NIMIS FVCO ILLITAM.

Purpureo fulges, dum mentitoque colore,
Picta tua & facies est, vt imago tua,
Inter quam pictor finxit, quam pingis & inter,
Hoc discrimen inest, quod tua verba refert.

Epig. 56. IN INIQVVM IVRISCONSVLTVM.

Visus vt est olim Guilielmus discere jura,
Justitiæ assertor creditus inde fuit.
Proh decepta fides! Ius tantum scire videtur,
Conterat vt justum, perpetret omne nefas.

Epig. 57. QVI PVERORVM VITIA NON CARPVNT, *oderunt eos.*

Falleris: heû! pueros tolerans, cum credis amare,
Hos odisse putes, quos sinis esse reos.
Conscius es culpæ, cui non obniteris ipse,
Et quæ non curas, vulnera dira facis.

IN

IN DEBITOREM.

Immeritò quereris toties quod debita poſcam, Epig. 58.
Sic petijſſe quidem, non mea culpa fuit.
Dedecus inque tuum queſtus conuertitur omnis,
Ne toties poſcam, tu mihi ſolue ſemel.

IN MERCATOREM IN NOBILIVM NVMERVM adſcriptum.

Mercis, qui pauper vilis fuit Inſtitor olim, Epig. 59.
Iactitat ore patres, laudat auoſque ſuos.
Quæres vnde repente eſt factus nobilis ille?
Diuitiæ dederunt huic, quod origo negat.

IN PAVLVM SÆPE ÆGROTANTEM.

Cum mox, Paule, ægrotas, moxque valere videris, Epig. 60.
Spes fortunarum ludificata perit.
Vel melius mihi, vel melius tibi conſule, quæſo,
Aut occumbe ſemel, vel bene ſemper habe.

VITÆ CVRSVS CVM SPHÆRA COELESTI comparatur.

Orbis ad exemplum vitæ componitur Orbis, Epig. 61.
Ortus, & exitus eſt eius vterque Polus.
Sunt eius Tropici metus, & fiducia fallax,
Qui ſubito huc, illuc, nos agitare ſolent.
Sic Hyemis timor eſt, Æſtatis dira cupido,
Blandula ſpes vt erit Veris imago patens.
Præbet & Autumni ſpeciem poſſeſsio nobis
Utile, ſic venti ſcimus habere vices.
Zodiaci poſſunt curæ tibi ſigna referre,
Hæreat illa diu mens, quibus acta ſemel.
Signa gradu lento dum luſtrans diuidit annum
Lumine ſollicito, Phœbus vt hæret eis.
Vita gradu celeri, noſtros cum terminat annos,
Ut ſtellæ errantes, gaudia noſtra micant.
Vt fixæ ſed erunt ſic tandem gaudia Cœli,
Tendere quo debes, cernere quodque juvat.



IN CLAVDIVM, QVERENTEM, QVOD Author sine munusculo grates referret.

Epig. 62. Munere quod nudas referam ad tua munera grates,
Immemor accepti muneris ecce feror.
Mittis, vt ad te mittam, si mihi munera, Claudi,
Hoc dare si vocitas, vendere dic quid erit?

Epig. 63. AVARVS DIVITIIS NON POTITVR.
Diuitias inter, miser est cur semper auarus?
Vtitur haud partis, plura parare cupit.

AD PONTICVM.

Epig. 64. Cum libros quæris cur nolo dicare Potenti,
Principibus renuam munera nostra dare?
Cuilibet illorum offerrem, ferremque libenter,
His at adulari, Pontice, nolo tamen.

IN QVEMDAM NVLLI AMATVM, nullique creditum.

Epig. 65. Quod te nullus amet, videatur ne tibi mirum:
Nec tibi quod tandem credere nemo velit,
Namque pecunia non dat, non hoc obtinet aurum;
Sed dabit erga alios hoc, amor, atque fides.

IN QVEMDAM GRAMMATICASTRVM pessima Epigrammata scribentem.

Epig. 66. Et sal, & lepor in quouis Epigrammate ni sint,
Ingrata, illepida, & nil, nisi carmina sunt.
Sic sunt, quæ effutis, sic quæque Epigrammata iactas,
Nil, nisi verborum garrula congeries.
Gratia nulla in eis est, nec lepor, vlla venustas,
Futilia omnia sunt, sensus & omnis abest.
Nomina si Diuûm, Regum si nomina tollas,
Nil absurdius est, sordidiusque nihil.

IN EVNDEM.

Epig. 67. Cum semel inspexi, dederas quæ carmina luci,
Effudi lachrimas, ingemuique semel,

Hæc iterum lustrans mea mens tunc arsit , & ira,
Volvere terque volens , creuit & ira quoque,
Carmina sed quater illa legam , bone Jupiter, absit,
Ne prius vt stomachus, fiat & inde furor.

IN EVNDEM.

Epig. 68.

Vt miracula mundi sunt totidemque Triones,
Peccata & totidem sunt quoque lethifera.
Lætitiæ sunt septem , sunt septemque dolores,
Montibus & septem Roma superba micat.
Condita quæ tibi, sunt septemque Epigrammata legi,
Parnasi totidem monstra nefanda puta hæc.

IN QVEMDAM IGNARVM AVTHORIS CARMINA carpentem.

Epig. 69.

Carmina cum carpis , quæ laudat quilibet alter,
Arguis , aut mendas , quas simulare cupis.
Aut vitia esse putas tua quæque inscitia mordet,
Falleris , aut alios decipis hocce modo.
Indeque Scylla tibi imminet, imminet inde Charybdis,
Scilicet ignarus , siue malignus eris.

IN MVLTOS, REGIS SCRIBARVM TITVLO immeritò insignitos.

Epig. 70.

A Secretis multi quosque vocant ad honores,
Obscuri meritis , qui tituloque valent.
Si qui sint rogites , his paucis accipe verbis:
Non ad honores sunt, sunt oneri, atque ad onus.

IN BALDVM NOBILEM, QVEM TACITA conscientia torquebat.

Epig. 71.

Quod tristis sit Baldus, cum sibi munera dantur,
Cum fortuna fauet , quod premat angor eum.
Quique alijs felix est , quod miser is sibi viuat,
Desine mirari , ne stupeasque precor.
Conscia nam magnæ faciunt præcordia culpæ,
Et reus impunis plectitur ipse tamen.
Visceribusque suis immanis tortor inhærens,
Et si iniusta simul , prospera sorsque fauet.
Assiduis animum, magnisque doloribus vrit,
Ipseque dat pœnas , munera dumque capit.

IN ALBVM MAGISTELLVM INDOCTVM.

Epig. 72. Vt perdas tempus ſudas à tempore multo,
Non perdis tantum, perdere namque facis.
Vt neutrum facias, hoc Albe patrare memento,
Diſcere iam ceſſa, ne doceaſque rogo.

NEC MISER, NEC STOLIDVS EST,
qui patientèr labores ferre poſsit.

Epig. 73. Vna quaque die pereant cum prædia Gauro,
Nec ſit jacturis triſtior ille ſuis.
Cum ſortiſque ſuæ, ſpe ſola damna rependat,
Nunc miſerum dicis, nunc ſtolidumque ſimul.
Non miſer eſt magnas jacturas qui facit ille,
Qui feciſſe putat, crede mihi, miſer eſt.
Nec ſtolidum dicas potuit, qui ferre labores,
Eſt ſtolidus tantum, qui tolerare nequit.

NON TANTVM NON MVNIFICVS EST,
qui promiſſa tardè adimplet, ſed debita iniuſtè retinet.

Epig. 74. Cum nihil expeterem, ſi quicquam ſponte dediſſes,
Te merito poteram dicere munificum.
Muneris accepti poſſem tibi debitor eſſe,
Verum quod petij iam meruere preces.
At quorſum, dices, hæc noſtra oratio tendit?
Non ſtes pollicitis, debita ſolve precor.

Epig. 75. IN PVERVM IRREQVIETVM, ET PETVLANTEM.
Vt bene ego ſedeam in feſto dum curat amicus,
Tum puerum lateri junxit & ille meo.
Noſtris conſuluit ſed quam male ſedibus autem,
Irrequieto hærens, nam male quiſque ſedet.

IN ALDVM, CVI NON PROFVIT VXOREM
doformem ducere, ne mœcharetur.

Epig. 76. Cum ſibi non alijs vxorem quæreret Aldus,
Deformem Thaidem ducere tumque parat.
Cautela hæc verum noſtro non profuit Aldo,
Vt deformis erat, ſic quoque mœcha fuit.

Quo

Quo pacto acciderit, nunc paucis accipe quæso,
Mœchari facile est, nubere difficile.

LAVDATIO CVIVSDAM MAGISTRATVS. *Epig.77.*

Hesperia infelix, multis quæ luget ab annis,
Non bene conscia sat, quæ sit origo mali.
Cum causas inquirens, hinc petit, & petit inde,
Non mirum est, inquit, si mala tot tulimus.
Alma Themis cessit, nec nobis est amor æqui,
Crimina inulta manent, præualet omne nefas.
Sic fuerat prius id, sed nunc, justissime Præses,
Crimina pro meritis, plectere quæque scies.
Te moderanteque, nullum impune videbimus vnquam,
Sic quæ tristis erat, læta sit Hesperia.
Nam Themis ad Patriam, te cum bona cuncta reducit,
Quæque recesserat hinc, te veniente, redit.

IN CLAVDIVM, ANTEA CHARVM, nunc omnibus invisum.

Charus eras, Claudi, sed cum diues minus esses: *Epig.78.*
Ditior at factus, cuilibet esque grauis.
Non id opes faciunt, obstatque superbia tantum,
Vt prior vt sit amor, mens tibi mitis eat.

IN IMPROBVM DIVITEM, ET DE INIQVA sorte querentem.

Argumenta refers cur nobis sortis iniquæ, *Epig.79.*
Cur cœcam verbis insimulasque tuis?
Ex opibus tantis etenim, queis cerneris auctus,
Quæ tibi, quæso, forent, hæc nisi cœca foret?

IN QVEMDAM JACTANTEM SE PLVRIMOS habere filios.

Immeritò jactas te magna prole parentem: *Epig. 80.*
Totque tibi ex pueris quis remanebit? age.
Restituendi si sint quippe parentibus abs te,
Qui tibi nunc adsunt, iam pater orbus eris.

IN CREDVLVM MARITVM. *Epig.81.*

Cum tibi cauta vxor tenera, & ficta oscula figit,
Tunc amens loqueris lætior illecebris.

Deli-

Deliciasque tuas iniusto nomine dicens,
Iusto credulior, gaudia falsa capis.
In te nam mœchum demulcet adultera coniux;
Quo plus te alliciet, læserit illa magis.

IN MENDACEM.

Epig. 82. Verba mihi innumera, & das iam mihi mensibus ab sex;
Et nil, spem frustrans, das mihi præter ea:
Perpetuò, dic, quæso, tot mendacia finges?
Nunquam pro votis, vltima verba dabis?

IN INDOCTVM, ET IMPIVM NOBILEM Quendam.

Epig. 83. Veste nites illustri, & præclaro ordine fulges,
Doctrina, & pietas, quod dare summa potest;
At quamuis habeas, quod dant felicibus ambæ,
Vt norunt omnes, est tibi neutra tamen.

IN HOMINEM IMPROBE DEPOSITVM retinentem.

Epig. 84. Officij titulo, Domini arcana omnia seruas,
Munus id an mereas, at dubitare placet.
Depositum vt retinens, si arcana recondere nosti,
Quam bene rem præstas! quam bene munus obis!

IN EVNDEM.

Epig. 85. Mirantur, quod sis pejor, quam Zoilus esset,
Crine ruber tantum, cum niger ore pates.
Pessimus hæc vt sis, duo sed tibi signa supersunt,
Cum satis vt constat, sis pius ore modo.

IN ABIECTVM POETAM.

Epig. 86. Montibus Hiblæis quot apes, tot carmina condis;
Ast vt mellificant, versificare nequis.
Melle suo est nil dulcius, est nihil asperius te,
Quæ bene non condîs, condere non satis est.

IN EVNDEM.

Epig. 87. Scribis perpetuò, atque inuitis, carmina, Musis,
Et numerosé erras, dum canis ad numeros.

Cum verò loqueris, tum verba tot absona profers,
Versibus, & verbis, es grauis, atque nocens.
At quæso, in te cum sit inevitabile damnum,
Os tibi num pejus, penna ne pejor erit?

IN NOBILEM, FALLACEM, ATQVE DOLOSVM.

Plus satis ante dolosus eras, cum laicus esses; *Epig.88.*
Ordinibus sacris subdolus at magis es:
Sic tua si fallacia creuerit ordine semper,
Quid Mitra dic sodes, quidque Tiara dabit?

IN NOBILEM PLVRA EMENTEM nil soluentem.

Sunt tibi magnificæ ædes, est opulenta supellex, *Epig.89*
Sunt rhedæ, & famuli, cætera quæque placent.
At temere & falso, nobis emere omnia jactas,
Omnia furaris, soluere nulla volens.

IN TVSCIAM PVLCHRAM, SED mœchantem.

Vt deformi, & auaro nupsit Tuscia Linco, *Epig.90.*
Clamarunt: O sors quam miseranda manet!
Vnus at inter eos, cui Tuscia cognita dudum,
Sors equidem Linci plus miseranda tamen.
Pulchra, vt Tuscia, si sit, non erit altera Linco;
Pro turpi at Linco, pulcher adulter erit.

IN ALIQVEM CONTINVO POLLICENTEM nunquam promissis stantem.

Cur mihi promittis, nunquam præstare paratus? *Epig.91.*
Factis, non verbis, conciliatur amor.
Spemque meam ludens, verbo dum pascis inani,
Res seruasque tuas, imminuisque decus.
Aut sta pollicitis, aut nobis abnue semper,
Sunt promissa semel, debita crede simul.
Factus sane aliquis pauper si pollicitis est.
Quis te pauperior, tantaque damna tulit?
At qui nil dederit, si res quæsiuerit vnquam,
Quis te, dic rogito, ditior esse potest?

*** *** ***

IN EVNDEM.

Epig. 92. Plura & multoties memini te pollicitum esse,
Me accepisse autem, sic meminisse velis.

IN ALIVM FERE SIMILEM.

Epig. 93. Cum stas promissis, grates tibi non agit vllus,
Et tua sic tarde gratia facta perit.
Sic male cum tribuis, tum bis debere videris,
Sic vix te dantem, solvere quisque putet.

IN PAVLVM MALEDICVM, ATQVE *Gulosum.*

Epig. 94. Læthifero morbo Paulus cum languidus esset,
Sciscitor à famulo, num medicina fauet?
Tunc mihi respondet, non est spes vlla salutis,
Continet ille probris, abstinet atque cibo.

IN ADMINISTRVM PVBLICVM IACTANtèr *dicentem, munus suum sibi nec minimo pretio constitisse.*

Epig. 95. Nec minimo pretio, mihi, munus constitit, inquis,
Cum magno, vt constat, constitit hocce tibi.
Quodque pecunia sola dedit meruisse suadens,
Es decus ostentans proditor ipse tui.
Recte equidem & nihilo officium tibi constitit illud,
Nam modo quæ dederis, tu populatus eras.

IN NOBILEM, A MAJORIBVS *degenerantem.*

Epig. 96. Cum tot imaginibus tua Majorum atria fulgent,
Quo satis eniteat nobilitatis honos:
Inter tot species, & tot simulacra Parentum,
Tu nullum vultu, tu meritisve refers.

IN ALIQVEM DEPOSITVM RETINENTEM.

Epig. 97. Iudice cum coram defertur nostra querela,
Scilicet, vt repetam mutua quæque dedi,
Conscia tunc veri tibi mens exæstuat ira,
Et questus nostros, verbaque ferre nequit.

Quæ

Quæ merito refero, te quorum & acumine pungo,
Quæ fugiant aures, nec meruiſſe piget.
Quod fuit in verbis, erat in noſtriſque libellis,
Arbitrio expungi Iudicis ecce petis.
Fallitur & Iudex, probra qui deleta putabit,
Omneque jus quiſquis te violare ſciet.
Depoſitumque ſacrum, omni inuita lege, tenere,
Scripto tum peius, qui legat, ipſe leget.

IN NOBILEM SVPERBE DICENTEM, eſſe aliquod diſcrimen inter ſe, & Authorem.

Inter nos, fateor, magnum eſt diſcrimen, vt inquis: *Epig.98.*
Quod ſit ſed referam, mentiar atque nihil.
Diuitiæ magnæ ſunt, quas tibi ſors dat abunde:
Sit niſi paupertas, ſunt bona parua mihi.
Sunt quoque magnificæ ædes, ditior eſtque ſupellex,
Vt modicum tectum, cætera ſuntque mihi.
Qua veheris rheda eſt, incedis quaque ſuperbus:
At pedibus vicos pervehor ipſe meis.
His ſic differimus, nos inter congruimus ſic,
Quod ſua, quæ meruit, ſic bona neuter habet.

IN POETAM IMMODICE BIBENTEM.

Laureola inſignitum cum te audiret Apollo,
Non Vatem agnoſcens, riſit & ille modo.
Fruſtra, qui retulit iam Diui numina iurat, *Epig.99.*
Affirmatque Deo: falleris, ille refert.
Tunc accede prope, & dixit Pater, omnia luſtra:
Vrget at incaſſum, credere nilque poteſt.
Tempora tumque videns tua, quod Parnaſia cingit
Arbos, hic hederam credidit eſſe tamen.

IN ALIQVEM RIDICVLE SPERANTEM.

Eſt tibi ſpes, in quemlibet euentumque parata, *Epigram. 100.*
Quo tua pluſque cadunt, erigeriſque magis.
Quod facis, id faciunt noſtri certe ſapientes:
Ne tamen exultes, id fatuique patrant.

LIBER SECVNDVS.

IN AVLVM OMNIBVS INVISVM.

Epigr. 1. Quam tua nulla ſalus fuit olim firmior, Aule,
Sed tantum fuerant dum tibi res modicæ.
Dicere nec poteras, ſpirat fortuna ſecunda,
Auctæ vt opes tibi ſunt, eſtque minuta ſalus.
Qui ſit amor Populi erga te nunc accipe quæſo,
Ditior vt fias quilibet vſque cupit.

IN INIMICVM FATO FVNCTVM.

Qui mihi damna ferebat, iam migrauit in auras,
Epigr. 2. Dulcis ei requies, eſtque fauente Deo.
Eſt Dominus mihi perpetuum laudandus in æuum,
Hoſti pro damnis, qui bona tanta dedit.

IN ALIQVEM RIDICVLE CVM GALLO mensæ accumbere recuſantem.

Epigr. 3. Nec potas, nec vis cum Gallo accumbere menſæ,
Atque odio id præſtas, nec ſimulare potes.
Rem facit indignam Gallus, te accumbere poſcens,
Vtque canis, ſat erit, ſi recubare jubet.

IN POETAM MALE EPIGRAMMATA Scribentem.

Epigr. 4. Feſtiua, arcta, aut viuida ſunt Epigrammata quæque,
Vel breuia, arguta, aut eſſe faceta ſolent.
Grata, vel ingenioſa nitent, ſubtilia vel ſunt:
Talia ni fuerint, hoc nego nomen eis.
Conueniunt non his, quæ ſcribis, nomina ſane:
Falleris, & grauiter talia dumque putas.
At ſi Pyrrichius, bis primave ſyllaba cedat,
Tum te, quæ remanent, ſcribere, faſſus ero.

IN NOBILEM IMPROBVM.

Epigr. 5. Sanguine clarus eras, tibi ſorſque nouum addit honorem;
At quo plus cumulas, eſt decus inde minus.
Nam tituli vt creſcunt, tua creſcunt crimina ſemper:
Nobilior factus, pejor es inque dies.

IN

IN EVNDEM.

Integra nobilitas ab auis tibi tradita cum ſit; Epigr. 6.
Muneris oblitus, tu male perdis eam.
Quæ virtute innititur, hæc eſt ſola perennis:
Quæ manet in titulo, tranſit vt vmbra levis:
Hæc tibi ſola poteſt magnos addicere honores,
Qua iam cum careas, altera vilis erit.

IN EVNDEM.

Bis quina aureolorum millia ſunt tibi in annum, Epigr. 7.
Vt laute viuas, quod ſatis eſſe poteſt.
At nec laute viuis, te nec egenior vllus:
Munera das nullis, vtile vixque paras.
Multi cum te adeant, adeunt vt debita ſolvas:
Et tamen abs te vllus, non niſi triſtis, abit.
Alterutrum vero nobis concedere debes,
Vel nebulo magnus, vel ſimulator eris.

IN AVARVM.

Gazophilus ſub me vult Præceptore ſtudere, Epigr. 8.
Qualibet hebdomada, ter cupit ipſe modo.
Attamen oſor non eſt ille laboris iniqui,
Otia nec deſunt, eſt ſtrenuuſque manu.
Cur igitur magis, at dices, mihi non ſtudet ille?
Sic breuiter referam, ſoluat vt ipſe minus.

IN PESSIMVM HOMINEM.

Levir, amice, tuus tandem migrauit in auras, Epigr. 9.
Qui te protegeret ſanguinis officio.
Nomine cuius abutens, plurima iniqua patrabas;
Æqua licet ſua mens cognita cuique foret.
Gratulor & Populo, atque tuæ me ſortis amaræ
Tædet, nam prius vt non potes eſſe malus.

IN RIDICVLVM CONSOLATOREM.

Triſtitiæ cur noſtræ opponis gaudia falſa? Epig. 10.
Vulnera diſsimulas, cur miſeræque domus?
Non mendacia veris ſunt medicamina damnis:
Quod minuis, fuerit non minus inde malum.

Sic.

Sicque dolo noſtris jacturis dedecus addis,
Sors facit infauſtos, ridiculoſque facis.

IN CREDVLVM, ET TIMIDVM.

Epig. 11. Cum ſit ad omne nefas promptus Blæſo, atque paratus,
Numina ſi Diuum, juſtitiamque colit.
Qua de cauſa audi, mirari & deſine, quæſo:
Quod non ille tamen crimina quæque patret.
Non pietas facit, alma fides nec: quid facit ergo?
Inſcia credulitas, immodicuſque timor.

IN PHILAVTIAM, ET PHILAVTOS.

Epig. 12. Terrigenis tribuat quid, ſcire Philautia ſi vis,
Quod Natura negat, cuique ſcit illa dare.
Ingenium dat enim, cum vix vllus fatuus ſit,
Qui non permagna mente valere putet.

IN MARITVM, VXORIS FORMAM *Immodice prædicantem.*

Epig. 13. Non vxore tua eſt, fateor, præſtantior vlla:
Si tamen es ſapiens, hanc celebrato minus.
Sic mæchi vitium ſtimulis an egere videtur?
Vt lateat damnum, quod patet inde tibi?
Tu reminiſcere Othonis, Candauliſque memento:
Exilium ille tulit, pertulit iſte necem.

IN NVDOS GRAMMATICÆ MAGISTROS, *qui ex ſe nihil edere valent.*

Epig. 14. Gramina conueniunt illis, qui grammata curant,
Nil niſi Grammaticam prodere quique ſciunt.
Inſtar equorum ſunt, ſua qui non pondera portant,
Et quibus ablatis, his nihil inde manet.

QVOD DISCRIMEN INEST INTER *ingenio præditos, & ſtolidos litteris incumbentes.*

Epig. 15. Sicut apes, ſolitæ ſunt veſpæ ſugere flores:
Condere non, vt apes, dulcia mella ſciunt.
Sic ſimiles apibus, dulces decerpere fructus,
Ex ſtudioque ſolent, ingenium quibus eſt.

Sic

Sic similes vespis, stolidi nil ducere possunt
E studio, præter murmur, & ore sonos.

VIX HOMO NASCITVR, CVM MORI discit.

Hesperias Oriens Sol pergere discit in vndas, *Epig. 16.*
Proximus & tenebris luminis Ortus erit.
Principium mortis sic sunt primordia vitæ:
Et natalibus est lectio prima mori.

MISERI MISERRIMI ESSENT, NISI CVM è vita discedunt, vitam æternam sperarent.

Qui misere viuunt, sed lex vt præcipit illis, *Epig. 17.*
Et quibus exitium lux noua quæque parat:
Rebus in aduersis, quænam solatia, quæso,
Spes nisi post obitum muneris vlla foret?

CONSVLIT AMICO, VT CÆLEBS VIVAT, si castus posit.

An ducas vxorem, an viuas coniugis expers, *Epig. 18.*
Noscere cum cupias, pauca referre placet.
Si castus poteris, si purus viuere cœlebs:
Coniuge tu careas, & pius ales eris.
Viuere sed valeas caste nisi cœlibis instar,
Vxorem ducas, consulo, moxque precor.

AD DILECTISIMVM, DOCTISSIMVMQVE amicum D. Felicianum Gilbert & Carbi de Pisa, scriptis illustrem, memoria illustriorem, probitate, & nobilitate illustrissimum.

Quæ plures alij scripserunt, scribere posses, *Epig. 19.*
Et si tempus erit, tu quoque scripta dabis.
Exque datis etenim fuerint & plurima nobis,
Nec celebranda minus, nec cupienda satis.
Sed nisi tu dederis, non est tot scripta referre,
Quam dare posse manu, gloria credo minor.
Vixeris vt, quis enim veteres iam dicat obisse?
Ore refers vt eos, menteque scripta tenes.
Nam si cuncta Typis data forsitan igne peribunt,
Reddere tu valeas, auferat ignis vbi.

IN IGNARVM MEDICVM, AD AMICVM.

Epig.20. Longus vt atque grauis morbus me vexat, amice,
Mittere vis Aldum, præſtet vt (inquis) opem:
Admittam, fuerit ſi mens occumbere morte,
Viuere cum placet, eſt qui medeatur opus.

IN EVNDEM.

Epig.21. Miles erat, Medici qui nunc amplectitur artem,
Quos ferro haud potuit, jam necat arte ſua.

IN CONIVGEM DOLENTEM, QVOD SI *Maritus obiret, relicturus eſſet modicas opes.*

Epig.22. Paulus vt ægrotat, nec ſpes eſt vlla ſalutis,
Vxorem mœſtam quiſque dolore putat.
Coniugis at mors non eſt hæc, eſt cauſa doloris,
Quod non pro votis ille relinquat opes.

IN BALDVM, TIMENTEM NE VXOR *Diues obiret.*

Epig.23. Vxoris Baldus fecit pro vota ſalute,
Caute, nam caderet, ſiſteret illa niſi.

AD CELSISSIMVM C. L G. LEGATVM *pro Amico.*

Epig.24. Vt decus Æſonides quæſiuit Vellere rapto,
Accepto mereas Vellere tuque decus.
Artibus, & belli laudes, quas ille parauit,
Claris pacis eas artibus ipſe pares.
Præſtitit atque dolis olim quod dirus Iaſon,
Regibus, & Domino fidus amicus agis.
Ille Veneficijs potuit ſopire drachonem,
Alterius ſomnos excutis arte tua.
Velleris inde tui decori ſic cedit Iaſon,
Clarior hincque fuit gloria parta tibi.

IN CONSILIA DANTEM, MALEQVE *ſe gerentem.*

Epig.25. Conſilium mihi das, ſed tu male te geris ipſe,
Cur, age, vulneribus non medicare tuis?

Eſt

Est vis consilio, magis exemplo esse fatere,
Exemplo ergo tuo fac mihi crede ratum.

SILENTII LAVS.

Quæ retices poteris, quæuis sint, dicere semper: *Epig. 26.*
Quæ semel eloqueris, non reuocare licet.

DIVITIÆ NVNC SCIENTIÆ.

Scire bonum quid erat, sed cum plus scire valeret; *Epig. 27.*
Ast oneri est tantum, plus vt habere valet.

QVÆ SIT ORANDI FORMVLA.

Quis modus orandi rectus cognoscere si vis, *Epig. 28.*
Si male non reputes, si bene semper agas.

IN ALDVM, INVIDVM, ATQVE obtrectatorem.

Cur non succenses, de te cum detrahit Aldus? *Epig. 29.*
His referam paucis, inuidet ille mihi.

IN IGNAROS PROCERES.

Seruis incomitatum vis censere Dynastam, *Epig. 30.*
Tu tantum videas an sciat ille parum.

AD ALDVM, IN INVIDVM.

Inuidiam quæris cur Aldi plectere nolo, *Epig. 31.*
Crimine nempe suo plectitur ille satis.

IN SVPERBIENTEM PRÆ FORTVNÆ BONIS.

Cum fortuna fauet, tum gaudes, tumque superbis: *Epig. 32.*
Lubrica sed poterit, crasque referre pedem.
Quod si euenerit, vnde, precor, solatia quæres?
Vnde tibi luctus, cuique cachinnus erit.

IN NIMIVM LEGVM NVMERVM.

Vt quæque vna semel scripsit lex, altera delet: *Epig. 33.*
Sic leges inter, legibus absque sumus.

*** *** ***

NON CVIQVE JVS SVVM SVFFICIT.

Epig. 34. Proderit haud tibi ius, nec mens tibi conſcia recti:
Sit, niſi Iudicibus, mens quoque Iuris amans.

IN QVEMDAM, SE JACTANTEM, QVOD *aduerſus Authorem ſcriberet.*

Epig. 35. Scribere cur contra me dicis, inepte Magiſter?
In te, non in me, eſt ſcribere, crede mihi.
Et decus vnde expectas, meque laceſſere credis,
Riſus vt inde meus, dedecus hincque tuum.

IN IGNARVM, LITERATI VESTE *indutum.*

Epig. 36. Non tibi conueniunt veſtes, quas induis, illæ:
Clitellas aſinum ſumere namque decet.

IN JVS, ET LEGES.

Epig. 37. Legibus, haud dubites, naturæ jus nocet, Albe;
Dum plus iura valent, omnia jure carent.

IN NOBILEM DIVITEM, ATQVE *Avarum.*

Epig. 38. Inclytus eſt vt opum, Patris eſt & nominis hæres:
Sed Patris effigiem non tamen ille refert.
Debilis hic Miles Veneris, ſimul eſt & auarus,
Sic & vtroque ſuo diſsimiliſque Patri.

IN MALVM POETAM.

Epig. 39. Carmina, quod laudas mea, vis tua carmina laudem:
Parque pari referam, debet vt eſſe, petis.
Debeo quod, cuncti callent, me ſolvere cuique,
Da debere prius: ſoluero moxque tibi.

IN QVEMDAM SVPERBIENTEM, *& criminis pœnas pro munere accipientem.*

Epig. 40. Exuitur cum munere, qui prius exuit omnes:
Quilibet eſt lætus, lætus & ille quoque.
Quod peccati onus eſt, conuertit namque in honorem:
Punituſque reus, geſtit at ille tamen.

IN AMENTEM, SAPERE DOCENTEM. *Epig.41.*

Martonis sæpe atque lubenter scripta videmus,
Displicet at nobis quidquid & ille facit.
Alter vt in scriptis est, cernitur alter in actis:
Et sapere vsque docens, desipit ille tamen.

IN NOBILEM VITÆ CVPIDVM, ET tantum voluptati indulgentem.

Ignarus mortis, multos qui vixit ad annos, *Epig.42.*
Vnica cui in viuis viuere cura fuit.
Tam longam moriens vitam morbo tulit ille,
Sic obitu longo disceret vtque mori.

NON SENI HABENDVS EST HONOR, si juveniliter se gerat.

Ne senis ex annis quisquam decernat honores *Epig.43.*
Tempora qui numerat, non erit ille senex.
Qui juvenum ritu multos impleverit annos,
Vt juvenis solum tunc & habendus erit.

FORTVNA SAPIENTI SEMPER VNA MANET.

Cum fortuna quidem sit vento incertior vllo,
Cui sapit illa tamen, semper & vna manet. *Epig.44.*

HISTORIÆ LAVS.

Si, quæ præterierunt, vis tibi sæcla redire, *Epig.45.*
Intuitu tantas cernere, totque vices:
Et natus paucos, multos vixisse videri,
Tu cupias annos, hoc dabit historia.

IN POETAM, FERÆ MODO VIVENTEM.

Carmina cum placeant, viuas cum more ferarum; *Epig.46.*
Non equidem miror, fabula namque docet,
Dulcisonum saltus Phœbum persæpe canentem,
Mellifluo ore suo sic placuisse feris.

TEMPVS NIHIL EST.

Tempus præteritum, præsens est, atque futurum, *Epig.47.*
Venturum vero quis putet esse suum?

Atque cito ac loquimur præsens, delabitur autem:
Quod fuit at nostrum, præteritum nihil est.
Vitaque pendeat ex his cum brevis atque caduca,
Præterita, & præsens, estque futura nihil.

NON LEGE TANTVM, SED IPSA RATIONE manus sibi inferre vetitum est.

Epig. 48. Jam data cœlitus est tibi, quæ vita anxia curis,
Hanc dare tunc debes, cum venit hora tua.
Hanc tibi sed, manibusque tuis auferre caueto:
Nolle dare haud iustum, tollere sed furor est.

ÆVVM NOSTRVM NON PRÆTERITO Pejus est.

Epig. 49. Qui nostris Patribus pejores nos ait esse,
Est æui veteris non memor ille bene.
Quæ facimus, majores primaque tempora norunt,
Nil magis in vitijs inueniesque noui.

HVMILITATIS ELOGIVM.

Epig. 50. Esto humilis semper, celsus si optaueris esse:
In cœlis humiles cernis habere locum.
Vltrix ira Dei audaces ad Tartara misit,
Qui gemit ille in eis, Angelus ante fuit.
Hunc cœlestibus vt potuit detrudere Regnis,
Sic quoque te poterit mittere ad ima Deus.

IVS DISPLICET, SI NOBIS DAMNVM infert.

Epig. 51. Vt tribuat nobis, si quid lex detrahit vlli,
Sanctam tunc equidem, dicimus atque piam.
Detrahit at si quid nobis, alijsque datura,
Justa sit illa licet, displicet illa tamen.

IN PATREM MALE PVEROS EDVCANTEM.

Epig. 52. Ingenio pueros quereris virtute carere,
Hos, Gnatho, non vis esse tui similes?

*** *** *** *** ***

PERI.

PERICVLOSVM EST DIVITEM VXOREM
Ducere.

Vxorem locupletem ne te ducere dicas, Epig. 53.
Dum te conducit, ducit & illa ſimul.

IN LINGVAM.

Corporis vtilior pars eſt, nec noxior vlla, Epig. 54.
Hac odium nobis, hacque paratur amor.

CVR NASVS SIT PROXIMVS ORI.

Adſtet ſi quæras cur naſus proximus ori? Epig. 55.
Sic guſtus quoque pars eſſet vt olfacere.

AMOR, CHARITAS, ET FIDES CONNVBIJ
vera vincula.

Lex, & ſcripta nihil, Galle, ad connubia proſunt, Epig. 56.
Ni charitas, & amor, mutua ſitque fides.

CVR NASVS ADSTET INTER OCVLOS?

Sic oculos naſus noſtros cur eminet inter? Epig. 57.
Arbiter æquales diuidit ille quidem.
Ni foret inter eos, poſſet tunc rixa moueri,
Pax à diſsidio prouenit inter eos.

LVX A SOLE PROCEDIT.

Et ſi Sole prior fuerit lux, doctus vt inquis; Epig. 58.
Attamen eſſe dies non ſine Sole poteſt.
Et ſine Sole licet poſsimus cernere lucem,
Cernitur illa prior, lucet at ille prius.

LACHRYMIS FOEMINÆ NON EST
adhibenda fides.

Fœmina cum plorat, tibi ſæpe imponere, crede, Epig. 59.
Eua vt prima Parens fallere nouit Adam;
Aut planctu, aut riſu, non fallere deſtitit vlla:
Et quocumque modo, eſt cuilibet Eua ſua.

SATIS EST LAVDES MERERI, HIS *inhiare non licet.*

Epig.60. Et satis, & super est laudes virtute mereri;
At magis his inhians, has meret ille minus.

DISCRIMEN INTER AMOREM, *& amicitiam.*

Epig.61. Hoc differt & amor, differt & amica voluntas:
Hæc animos sociat, corpora jungit amor.

SORS, LICET ADVERSA, SI VIRTVTEM *foueat, bona est.*

Epig.62. Vt melior nobis fortuna, est pessima, nostræ
Quæ modo virtuti prosperitate nocet.
Sic quæ adversa solet virtutem sæpe fouere,
Illam non merito dixeris esse malam.

IN MOECHAM.

Epig.63. Hortatur gnatum dum Gallus desinat esse
Cœlebs, & sobolis vult sit vt ille parens.
Parce, Pater, dixit, si vxorem ducere nolim,
Nam vereor matri ne similis sit ea.

VIRTVS EST VNICA PVLCHRITVDO.

Epig.64, Est decus, & formæ virtus, est formaque vera;
Et sine virtute est, Lesbia, forma nihil.

PAVPER HAVD MOERENS E VITA *discedit.*

Epig.65. Munera quisque,& opes, multosque relinquit honores,
Ægre ex hac vita cesserit ille quidem.
Præter at ærumnas, & curas, atque labores,
Qui nihil hic linquit, lætus abire potest.

IN GALLAM QVÆRENTEM, QVOD SIBI *non rescriberetur.*

Epig. 66. Immerito quereris, tibi quod rescribere nolim,
Non rescripta rogas, munera, Galla, petis.

Sic

Sic tamen haud ſcribens, tibi ſum reſcribere viſus:
Nil tibi reſcribens, munera namque nego.

IN NOBILES IGNAROS.

Nobilis ignarus nihil eſt, niſi nobile monſtrum: Epig. 67.
Gnarus erit charus nobilis ille mihi.

IN POETAM MVLTA, SED MALE Scribentem.

Plurima ne laudes Pandum, quod carmina ſcribat: Epig. 68.
Quot ſunt ne numeres, reſpice num bona ſint.

NON NOBILIS CENSENDVS EST, qui à virtute Majorum degenerat.

Is meret vt laudes, ſplendori qui decus addit, Epig. 69.
Sanguinis, & meritis vincere curat auos.
Contrahit, & pariter ſummum ſic dedecus ille,
Qui claro à ſobolis ſanguine degenerat.

NIHIL MELIVS VXORE BONA, NIL Mala pejus.

Vxor, ſi bona ſit, bona non erit, optima ſed res: Epig. 70.
Si mala, nulla quidem pejor & eſſe poteſt.

IN MALVM POETAM SVA CARMINA laudantem.

Si tua, cum mala ſint, quæcumque Epigrammata ſcribis, Epig. 71.
Optima vt, extollis laudibus illa tamen.
Te nemo laudabit, ſi bona carmina ſcribes:
Scribere te caſu, quiſque putabit enim.

INVITIS MVSIS MALE CARMINA condimus

Scribimus vt verſus inuiti, cum flat Apollo, Epig. 72.
Scribimus & fruſtra, ſicque negante Deo.
Quælibet eſtque Sororum, cantatricis ad inſtar,
Quæ dum ſponte canit, ſæpe rogata ſilet.



IN FOENERATOREM MVTVO PECVNIAM dare negantem.

Epig.73. Nummos abs te aliquot petij, mihi quoque negasti,
Quosque intra mensem reddere promptus eram.
Centum sed pro centum nunc tibi si dare vellem,
Solvere si valeam, tunc bona cuncta dabis.

NIHIL APTIVS QVAM VXOR, AD PROBANDAM hominis patientiam.

Epig.74. Non tentata fuisset sat patientia Iobi,
Amissis opibus, tum puerisque simul,
Membraque corporis vt frustra laceraverat vlcus,
Hanc probet vt Dominus, coniugis addit opem.

LAVDATIO VRBIS TRIBVNI.

Epig.75. Vrbs equidem nitida est, ex quo Præfectus es illi,
Cum tamen illa foret sordibus ante scatens:
At sine nunc vitijs, hanc si cupimusque videre,
Moribus esset opus Præpositusque fores.

INVTILE EST IN MORES SCRIBERE.

Epig.76. Temporis in mores cur nolo scribere quæris:
Ne pejor fiat quilibet inde malus.

IN FOEMINAM FALLACEM.

Epig.77. Quod serpens Euam tentauit, quisque fatetur,
Esses hoc melius munere functa quidem.

AD AMICVM.

Epig.78. A nobis Epigrammata sex, Charissime, poscis,
Poscis, & in binos sex ea quosque dies.
En tibi sex jussis, vt quæ satis esse valebunt,
Sex, vt te celebrem, millia Musa dabit.

IN ADVLTERAM.

Epig.79. Hæc contenta fuit modicis, quæ vestibus olim,
Cum pretiosas nunc induit illa sibi,
Quod præstare queat mirari haud desinis, Albe,
Non dat, ais, coniux, qui det adulter erit.

IN MARCVM PROMISSA NON seruantem.

Carminibus posco, quæ nil sermone soluto, Epig. 80.
Poscere profuerit, debuerasque dare.
Verba fluunt equidem, poteris quæ spernere, Marce:
Carmina ne spernas, carmina namque manent.

AD QVEMDAM PRINCIPIS FAMVLVM.

Vtile tum domini, mea tum quoque commoda quæro: Epig. 81.
Opto, docendus sit cum breuiterque puer.
Ergo mente tenax, pacti precor vsque memento,
Prospicies domino, prospiciesque mihi.

QVERITVR DE DISCIPVLO, A QVO NON inuisus fuerat.

Fortis Alexander visebat sæpe Magistrum, Epig. 82.
Non dubitabat enim, quod Patris instar erat.
Audio nunc te equidem caperata dicere fronte:
Non es Aristoteles. Rex Macedo precor es?

AD QVEMDAM, QVI AVTHOREM ægrotum, manicis ambar spirantibus instructus, inuiserat.

Reddere colloquij poteras dulcedine vitam, Epig. 83.
Reddidit vt poterat quam mihi colloquium.
Cædere sed poteras, manicis spirantibus ambar,
Quin me interficeres absuit atque parum.
Naribus vtque grauis, jucundus vt auribus æque;
Vita fuisti equidem tu mihi, morsque simul.

IN PATREM AVARVM.

Discere desineret, vix octo mensibus actis, Epig. 84.
Filius, vt genitor sollicitus petijt.
Si reputas voluisse breui sic tempore doctum,
Falleris, hoc voluit, parcus vt esset homo.

DISCRIMEN INTER VITAM FELICEM, & infelicem.

Vt breuis est, expers quæ transit vita malorum, Epig. 85.
Tempora si numeres, longa sit illa licet.

Sic fuerit longissima quæque breuissima crede,
Si modo perpetuis nectitur illa malis.

IN QVO SIT MISER FELICI BEATIOR.

Epig. 86. Et felix miser est, hoc est miser, hocque beatus:
Iste nihil metuit, cuncta sed ille timet.

IN CLORIDEM, AMANTEM MARITI se fingentem.

Epig. 87. Vulnera dum cernit Cloris tractare Mariti,
Quod dolet illa gemit, quod fleat ille dolet.
Deceptus visu, se credit sorte beatum,
Et bis infelix, plaudit & ille sibi.
Sic secus esse solent res, ac persæpe videntur,
Sunt oculis lachrimæ, cordeque risus inest.

NE ANTE OBITVM FOEMINA SAPIENS habeatur.

Epig. 88. Ne sapiens tibi laudetur jam fœmina quæso,
Talis & in multis visa sit ipsa licet.
Dum fuerit viuens, poteris diffidere semper,
Hæc tibi sit sapiens, quæ sapiens obeat.

LAVDATIO SOLIS, EPIG. MYSTICVM, pro Christianissimo Galliæ Rege.

Epig. 89. Non tibi sufficiunt plures, tu pluribus vnus
Sufficis, & præstas viribus ipse tuis.
Lumina namque licet sua cunctaque sydera jungant,
Te lucente tamen, lumine cuncta carent.
Cunctaque deficiant Orbem si Sydera nostrum,
Illius vt columen, rector & esse potes.

VBI VERBERIBVS OPVS EST, VERBA Futilia fundere ridiculum.

Epig. 90. Quid tot verba, precor, prodest jactare per auras?
Hoc medicamen erit semper inane malis.
Absque virisque viri sic degenerare videmur,
Verba dat vt mulier, verbera sic det homo.



COM-

COMPARATIO VITÆ CVM TEXTORIS
tela, alijſque ad textoriam artem pertinentibus. Epig. 91.

Præcipites horæ, atque dies ſunt ſtamina vitæ,
Artificis fallax ſpes radij inſtar adeſt.
Fila negotia ſunt, quibus & contexìmus illam,
Atropos interea ferrea luſtrat opus.
Quod dum munus obit, ſcindit, metitur & vlnas:
Funera ſic nobis, nectit & illa ſimul.

IN VILISSIMVM, SVPERBISSIMVMQVE
Hominem, nunc diuitem, anteà mercis inſtitorem, atque per vicos vectorem.

Pumilio fuit olim, nunc qui cernitur Atlas, Epig. 92.
Inſtar ad Atlantis, vector & Orbis erat.
Atlas ſed gemuit, Mundi ſub pondere curvus,
Suppoſitus Mundo lætus at iſte fuit.
Lætior & fuerat tunc, dumque grauiſsimus Orbis,
Vtqui fortunas ferret in Orbe ſuo.

IN MAGÆRVM.

Cum Coquus eſſes, condires & edulia nobis, Epig. 93.
Tunc ſaltem fueras vtilis arte tua.
Inſtitor at durus, verbis & durior ipſe,
Vt cenſum, ſenſus dilaceras vtique.

LAVDATIO LVDOVICI MAGNI GALLIARVM
Regis Inuictiſsimi, de Hæreſeos debellatione.

Dum membra Hæreſeos reſecas, & conteris atræ, Epig. 94.
Quod nec Avi poterant, tu Lodoice facis.
Sicque Dei, atque tui vindex vno aſſeris ictu,
Imperium tibi Rex, ſic Populumque Deo.

SCIENTIA DOCTIS, NON VT OLIM
vtilis, ſed noxia.

Scire quidem, fuerant olim cum præmia doctis, Epig. 95.
Cuique erat & breuius proſperitatis iter.
Vt miſer eſſe queas, doctus nunc ſufficit eſſe,
Vtile quod fuerat, cuilibet vſque nocet.

*** *** ***

IN CALAMITATIBVS NOX DIEI
anteponenda.

Epig. 96. Nox vt in aduersis vellem somnusque maneret,
Cum semel excutitur, sollicitudo redit.

LAVDATIO NOBILIS OPTIMI NOMINIS,
vituperatioque fratris eius, pessimi nominis.

Epig. 97. Debuerat mihi jam dudum, quæ solvere frater,
Sæpe roganti equidem debita, sæpe negat.
At mihi parce precor, dederim quod nomina fratris,
Nomina, non solvens, non meret ille tua.

IN LINVM EPIGRAMMA ENCOMI-
Satiricum.

Epig. 98. Tu Line, cum bona, dignaque plausu carmina condas,
Optima proque bonis præmia sæpe feras,
Et bona sint, licet hæc laudat quæ vulgus iniquum,
Doctus & interdum, quæ celebrare potest.
Sint meliora licet, quam multis sunt quoque visa,
Munera nec licet his sint meliora tamen.
Et quamplura magis bona sint tua carmina quamuis,
Quam sunt illa tamen, tu meliora putas.

PRIVS EST FACVLTATES HABERE,
Quam eas administrare.

Epig. 99. Oeconomus quod sis, jactas te cuilibet, Aune,
Atque modum teneas, quoque regantur opes.
Ordine sed verso, male sic opus incipis hercle:
Quærito diuitias, moxque parato modum.

SE IN PAVPERTATE DITIOREM,
in miserijs feliciorem plurimis diuitibus,
felicibusque prædicat.

Epigram. 100. Vnumquemque pudet nostræ dum sortis iniquæ,
Osor ego luctus, rideo solus eam.
Diuitijs pleni plures, sed commoda lugent,
Felicesque alijs, esse sibi nequeunt.
Ditior his pauper, miser, atque beatior illis
Viuo, namque mihi dat mala ferre Deus.

AVIS AB HERO, PRÆ VETVSTATE DEJECTA,
Et mox in gratiam recepta.

Mollis Auis, postquam cecinit jam fida per annos — *Epigram.* 101.
Plures, & domino dona sonora dedit.
Vt desunt cunctis vires, & cuncta senescunt,
Vtque fauor nullus, gratia nullave stat.
Deliciæ domini, quauis cui gratior vlla!
Decidit vt lepor huic, gratia sicque perît.
Attamen haud voluit tunc finem imponere vitæ,
Emisitque modo quærere posset vt hanc.
Carceris at claustris, jam tot commissa per annos,
Aera non nouit, fugit & ipsa fugam.
Austerèque pius, claustris hanc reddidit ille,
Vt, quæ pœna prius, gloria jam sit ei.
Sic, quæ imitanda dabat quondam modulamina cantu,
Haud spernenda actis, nunc imitamina dat.
Libertas homini, toto pretiosior auro,
Nullius est pretij, despiciturque ab ea.
Edocet illa viros, auibus cantare magistra,
Exemploque canit, non potis ore modos.
Et visum anteferens domini, blandique tyranni,
Viuere nolit agris, carcere clausa mori.

PATIENTIA IN BONORVM IACTVRA,
ipsis bonis potior.

Quæ dederat Deus olim, cuncta mihi abstulit ille, — *Epigram.* 102.
At licet abstulerit, non tamen ipse queror:
Nam simul vt tollens, dedit his quoque posse carere:
Quam mihi detraxit, sic mihi plura dedit.



LIBER TERTIVS.

QVI SOLVS VOLVERIT ESSE, POSTVLET
tantum aliquid ab amicis.

Continuo quereris, quod te visunt vt amici, — *Epigr.* 1.
Non præstare queas, quæ facienda tibi:

Liber at omnibus his quæras ſi forte receſſum,
Expete ab his aliquid, tu modo ſolus eris.

IN PHILAVTVM.

Epigr. 2. Fertur amore ſui quondam Narciſſus obiſſe,
Quomodo, Celſe, potes viuere tamque diu?

IN IGNARVM MAGISTRVM, AD QVEMDAM Nobilem.

Epigr. 3. Gallorum Linguam, Princeps, te diſcere dicunt:
Quod cupias, fateor; poſſe negabo tamen.
Diſcere quî poteris, te quî que docere Magiſter?
Expedit vt doceat, diſcat vt ille prius.

PLVRES ADVERSAM, QVAM PROSPERAM Fortunam, ſuſtinere valent.

Epigr. 4. Rebus in adverſis, patiens vt cernitur apte,
Cernitur in fauſtis, qui moderatus erit.
Pondus at vt ſortis blandæ vix ſuſtinet vnus,
Innumeri duram ſic tolerare ſciunt.

SVPERBIA PLEROSQVE E FORTVNÆ Culmine præcipites agit.

Epigr. 5. Quî fit, vt ex poſtremis, qui ad ſublimia pergunt,
Stare diu nequeant, ſæpe locis in eis?
Altius vt ſubeunt, & ſunt vertigine capti,
Quâ ſit iter dubitant, præcipiteſque ruunt.

QVERITVR, QVOD DVM CRESCIT Filiorum numerus, facultates minuantur.

Epigr. 6. Conjugij fructus, cupiunt quos ſæpe parentes,
Innumeros mihi das, vota citraque, Deus.
At pueros precor, adverſo & bona pondere penſans,
Cur mihi quo plures, das & habere minus?
Das dando lætari, das quoque poſſe dolere,
Cum das, dando nihil, poſſe videre pati:
Sic patiorque ſimul, nobis cum vita ſit vna,
Ditior, vt poſſum viuus, amans in eis.
Vis referam tibi grates, vis mihi gratuler ipſe?
Das vt habere, Deus, da quoque poſſe dare.

QVE-

QVERITVR, QVOD PRÆ NEGLIGENTIA
Pauci eius doctrina vtantur.

Cum videas paucos nostros decerpere fructus, Epigr. 7.
Vtilis & multis sim licet arte mea.
Præteriti memor, ò mores, ò tempora! clamas.
Sic dum, Galle, stupes, defleo sicque vicem.

NVLLVM APTIVS INSTRVMENTVM
ad Cœlum demetiendum, quàm bona opera.

Iacobi baculum nolo, quo metiar Orbem, Epigr. 8.
Et quantum distent sydera syderibus.
Metiri nihil est ea, nam penetrare volenti,
Illuc scala operum, jamque subire dabit.

EX ANIMORVM DIVERSITATE,
virtutum, & vitiorum discrimina prodeunt,
Similitudo ex ære decerpta.

Gratius est nihil ære, manus quod sedula pulsat, Epigr. 9.
Ad pia quod cunctos munera sancta vocat.
Horridius nihil est, ære in tormenta refuso,
Ore pericla refert, damna minatur enim.
Materia vna tamen, facit at discrimina forma:
Vna hominum species, materiesque simul.
Ast animus varius, tot in his discrimina profert,
Hinc equidem virtus, hinc vitiumque venit.

EX PRAVI HABITVS DEDECORE, QVANTI
sint faciendi, optimi mores dignoscitur.

Scire bonus cupias habitus quanti sit habendus, Epig. 10.
Si quoque scire velis, quod decus ipse parit.
Tu perpende modo quantum, quod dedecus, inquam,
Nascitur ex habitu, moribus atque malis.

BIS PATER EST, QVI PVEROS GENITOS
edocet, vix semel, qui eos negligit.

Quam pater vt minus est, pueros qui negligit ortos, Epig. 11.
Hos genuisse semel, quod satis esse putet.
Sic equidem à simili merito quoque dicitur ille,
Qui genitos docuit, bis genuisse pater.

FELIX

FELIX QVILIBET MISERO CONSILIA *dat, quibus & ipse in aduersis vti nequit.*

Epig. 12. Tum felix misero, patiens sit, consulit vsque,
Atque laborum expers, hos tolerare docet.
Experiatur at ille iras si sortis iniquæ:
Indiget, atque vti tunc nequit arte sua.

ADVERSATVR AVTHOR SENTENTIÆ *Oeni Poetæ Cambrobritanni.*

Epig. 13. Non vt Oenus ait, generalis regula fallit;
At qui nescit eam, fallitur ille modo.
Nec normæ generalis fœmina fallit ad instar,
Falli sed gaudet, credere quique velit.

AD PHYLIDEM, SVPER FRAGMENTIS *fidissimi speculi.*

Epig. 14. Frangitur vt nitidum speculum, pulcherrima Phylis,
Nunc grates sorti jamque referre potes.
Vnica, dum foret vnum, nam tua forma manebat;
Nunc in fragminibus multiplicata nitet.

AD EAMDEM, IN IDEM ARGVMENTVM.

Cur fracto speculo luges, fragmentaque spernis,
Epig. 15. Quod pars nulla potest illius esse loco?
Multiplicata sat est formæ sic quod sit imago,
Materia minor, at non speciosa minus.

AD VICTVM PRIVS, POSTEA VICTOREM.

Epig. 16. Qui fugitivus erat prius, & quoque Miles inermis,
Proterit armatos, & dare terga jubet.
Divulgata prius, vel sunt falsissima, crede,
Aut vindex, in eo dimicat ipse Deus.

EX AVARITIA HOMINVM DEMOCRITI *opinionem de pluralitate Mundorum falsam esse, infertur.*

Epig. 17. Plures Democritus nobis falso asserit Orbes,
Detexisset eos nauis auara prius.

*** *** *** *** ***

IN FATVVM, MODICE SCIENTEM Linguam Gallicam, & Carmina Gallica fastidientem.

Gallica dum carpis, quæ tu non carmina calles, *Epig.18.*
Tunc tacitè mordens, nescius illa probas:
Vt tua nam mens est, ea si tibi forte placerent,
Qui valet ingenio, tunc mala cuique forent.

VITA BREVIS, ET LONGA EST, Sed vario respectu.

Est breuis & vario respectu, longaque vita; *Epig.19.*
Qui bene nam faciat, curta erit illa bona.
Sic versa vice cuilibet hoc inferre licebit,
Qui male sed faciat, longa erit illa malo.

IN QVEMDAM METICVLOSVM, QVEM nimis somnia exterrerent.

In somno quereris te quod tot somnia terrent, *Epig.20.*
Dum vitam vigilans, dumque quietus agis.
Damna sed in te, si tantum fictitia possunt,
Non terrere modo, vera necare scient.

ADVERSATVR OENI SENTENTIÆ.

Cum formosæ Epigrammata quæque accedere credis: *Epig.21.*
Hæc sententia te fallit, Oene, tua.
Quo plus ista leguntur, plus & opinio crescit,
Hæc quo plus teritur, tunc minus illa valet.

ADVERSATVR EIDEM IN EPIG. XXI. LIB. I.

Nil sub Sole novum Salomon esse inquit in Orbe; *Epig.22.*
Verius hoc nihil est, nec secus ipse putes.
In veteri Orbe nouum haud dicas reperisse Columbum,
Orbem quem dicis, pars erat Orbis enim.
At saltem dices, hanc partem repperit ille,
Esto quod hoc ita sit, non erat illa noua.

ADVERSATVR EIDEM IN EPIGRAMMAT. 266. Libri, qui dicitur Vnus.

Vna via vt vitæ, & mortis, sunt mille figuræ, *Epig.23.*
Vita mala haud ideo, non ideo est bona mors.

Sunt plures moriendi, naſcendi eſt modus vnus,
Æquus at omnibus eſt, nec malus ille quidem.
Sunt plures viuendi, ex his diſcrimina quære,
Quilibet vt malus eſt, ſic mala vita quoque.

COMPARANTVR INTER SE SICILIA, & Anglia, ad Gallum.

Epig. 24. Dira Britannia vt, eſt equidem Trinacria, Galle,
Et tria Regna capit, circuit atque mare.
Ambæ ſunt triquetræ, ſunt & maria horrida nautis,
In dominos pietas cernitur vna fere.
Eſt amor, & charitas eadem quoque ferme in vtraque,
Relligio at differt, eſt tamen vna fides.

LAVDATIO BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Epig. 25. Prima Parens bona noſtra dedit cum mala marito,
Tunc mala cum malis huic dedit illa quoque.
At lethi vt legit fructus ex arbore vitæ,
Sic vitæ fructus arbore mortis ea.
Eua quidem melior pariens medicamina curat,
Quæ mala ſic malis fecerat Eua prior.

IN AVARVM.

Epig. 26. Viuere ſicque mori ſibi tantum nouit auarus,
Nemo ſcit an viuat, ſic moriente ſilent.
Vtque caret meritò dum viuit laudibus ille,
Sic lachrimis meritò mortuus ille caret.

NIHIL FORTVNA FIRMIVS.

Epig. 27. Inſtabilem fortunam quiſque vocauerit, errat,
Cum mutando, nihil firmius eſſe queat.

IN GANNICVM.

Epig. 28. Nomine munificè te plures, Gannice, laudant,
Ductus & exemplo te quoque laudo ſimul.
Aſt illis eadem laudandi ſi ratio ſit,
Quæ mihi, laus fuerit debita nulla tibi.



AD GALLVM, IN DIVITEM HYLAM, & de fortuna querentem.

Cum queritur sortem meritis non, Galle, fauere, Epig.29.
Et qui plus mereant, hos & habere minus.
Diues Hylas stolidè nobis dum talia fundit,
Quam merito queritur, tum satis ille docet.

IN QVEMDAM MATHEMATICVM. Epig.30.

Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit,
Si male non memini, sic Juvenalis ait.
Credere nolueram, mordax quæ dicit Aquinas,
Sunt mihi, notus vt es, credita dicta simul.

AD FORMOSAM, VENVSTAMQVE Puellam neutri Parentum similem. Epig.31.

Pulchra venusta simul cum sis, vt vterque Parentum
Illorum neutrum tu tamen ore refers.
Prouida præstitit hoc erga natura Parentes,
Inuidus, vt reputo, ne foret alter vter.

IN ALIQVEM SE PLVRA CARMINA condere jactantem. Epig.32.

Plurima non satis est conscribere carmina paruo
Tempore, ni fuerint carmina scripta bene.
Quam breuiter scribas, te non interrogat vllus;
At tantum scribas quam bene quisque rogat.

CVR NOCTV STELLÆ SPLENDEANT duplex causa affertur. Epig.33.

Cur niteant noctu, si quæras, sydera Cœli,
Funera sic celebrant Phœbus vt occubuit.
Aut diuisum nox vt habet cum lumine Regnum,
Accendit tædas, deficiente die.

PAVLATIM ANTE IPSVM OBITVM OBEVNT Homines.

Deficiunt sensus nostri, sensimque senescunt, Epig.34.
Corporis, & quoque pars deficit inque dies.

Dum vitam trahimus, calcamus limina mortis,
Ante obitum, noſtri pars & obire ſolet.

IN MVNERIBVS, ANIMVS TANTVM
Epig. 35. *Dantis ſpectandus eſt.*

Ne te ſpes lucri moueat, nec munera ſpectes,
Aſt animus tantum reſpice dantis vt eſt.

CVI FAVET PRINCEPS, BLANDIVNTVR OMNES.

Epig. 36. Proſpera vela dabit tua ſemper Nauis in aula,
Si tibi perpetuo Principis aura fauet.
At ſi defuerit, vel ſi contraria ſpirat,
Nitetur Puppim mergere quiſque tuam.

OBSEQVIVM SPONSARVM, ET MARITORVM
in eas amor.

Epig. 37. Prima Parens primi coſta eſt educta parentis,
Factum quod reputes, non ſine conſilio.
Obſequium patet hinc ſponſas debere maritis,
Sic illorum in eas indigitatur amor.

PRO NIHILO HABETVR, VIVERE CAVTE,
niſi caſtè viuamus.

Epig. 38. Si caute, non caſte, ne bene viuere credas;
Dum cunctos fallens, falleris ipſe prius.
Sic homines tantum manifeſtas namque vereri,
Nec primum reputas eſſe timere Deum.

PLVRIMI IVDICES PARIDEM
imitantur.

Epig. 39. Vt, ſpreta Iunone, Paris, ſic Pallade ſpreta,
Arbiter inſanus, præmia dat Veneri.
Æuo ſic vitium virtutem vicit ab omni,
Quilibet hinc Iudex non timet eſſe Paris.

IN EPIGR. OENI 73. LIB. TERTIJ.

Epig. 40. Eſt ratio data nobis, vt natura regatur,
Non vt, Oene, putas, vt regat iſta data eſt.
Cœca foret cœcæ, ſi nos parere iuberet,
Nos ea naturam, non jubet ergo ſequi.

NON

NON MISERVM ESSE DICVNT GALLI, cui optima dies illuceat.

Vt referunt Galli, verè non eſt miſer ille, Epig. 41
Optima cui ſaltem luceat vna dies.
Quis fuerit, precor at, felix cui luxerit illa,
Quæ ſit triſtitià, quæve dolore carens?

IN BATTVM, CARMINIBVS ALIENIS Gallæ formam celebrantem.

Galla tuam celebrat Battus cum carmine formam, Epig. 42
Carmina quæ mittit, munera non ſua ſunt.
Sic ſpeculum ſpecies reddit, quas non habet ipſum,
Sic quoque non lucet lumine luna ſuo.

IN ALIQVEM RIDICVLE DICENTEM, ſe nolle ſcribere, ne, quæ ante ſcripta fuiſſent, ſcriberet.

Quæ ſunt ſcripta prius, ne ſcribas, ſcribere non vis, Epig. 43
Quidquid ais, dictum eſt iam prius; ergo tace.

IN SORDIDAM BATTI AVARITIAM, ad Gallam. Epig. 44

Cum quereris Battus, mittat quod carmina tantum
Sortis vt ingenij, munera nec tibi det.
Quam male noſcis eum! cum ſit tam ſordidus ille,
Mitteret vt minime, ſi ſua, Galla, forent.

AD AMICVM, DICENTEM TVLLVM æquè benè ſcribere, atque loqui. Epig. 45

Sermonem inter ſe confers, cum ſcriptaque Tulli:
Quam bene verba facit, tam bene ſcribit, ais.
Hoc equidem, cynicè, jactare videris in illum,
Noſcimus vt neutrum, cum ſciat ille bene.

QVID SIT DISSIMVLARE. Epig. 46

Dis Græci dicunt, quod bis dixere Latini,
Diſsimulans igitur bis ſimulator erit.
Scilicèt eſt celebris Regum hæc doctrina Potentum,
Plus quovis alio, fallere poſſe, reor.

IN

IN ARNALDVM, QVOTIDIE BARBAM radentem, ad Amicum.

Epig.47. Falleris, Arnaldum credis, cum radere barbam,
Scilicet vt juvenis nomen habere queat.
Candidus eſt adeò, vt nobis imponere nollet:
Hoc facit, vt non eſt, ne videatur homo.

QVILIBET, VEL FATVVS, INGENIO valere putat.

Epig.48. Qui caret ingenio, hoc vitium ſi noſcere poſsit,
Omnia tentarit, dum reparare queat.
Aſt hominum nihil vllum cur tentare videmus?
Scilicet, ingenio nemo carere putat.

EST BOMBIX HOMINE ANIMOSIOR.

Epig.49. Quam quivis homo bombix eſt animoſior, Herme,
Ille obitum refugit, ſponte obit iſte ſua.

FELIX EST, QVI ADVERSAM FORTVNAM patientèr tolerat.

Epig.50. Eſt felix, invita fortuna, miſer ipſe:
Perferre adverſam, ſpernere quique poteſt.
In rebus miſer aſt fuerit tunc ille ſecundis,
Qui quo plus habeat, plus & habere cupit.

AD VXOREM REGENDAM, NON SVFFICIT prudentia.

Epig.51. Firmice, coniugium nobis eſt æquoris inſtar:
Ars in quo Nautæ non ſatis eſſe queat.
Proſpera namque ſimul, niſi tunc ſpirauerit Aura,
Inuita arte ſua, naufraga nauis erit.

IN QVEMDAM DIVITEM COGNOMINE, atque mente fatuo pauperi ſimilem.

Epig.52. Es fatuo ſimilis genio, & cognomine cuidam,
Sed diuiſsimus es, pauper at ille quidem.
Solo non differtis, at hoc diſcrimine tantum,
Rideris diues, fletur & ille miſer.

*** *** ***

AD

AD AMICVM.

Anni principio renouantur cumque Kalendæ, Epig. 53.
Mittere quisque solet munera, Christophore,
Non argentea sunt, aut aurea munera nobis,
Sunt, quæ mitto tibi, munera scripta tamen.

IN QVEMDAM, IN PROMISSIS
seruandis non obseruantem.

Quæ non, Marce, tibi promisi, carmina mitto, Epig. 54.
Mittoque, sic mittens, munera magna tibi,
Quæ mihi promittis, tu mittis munera nunquam,
Mitte semel, ne sint munera nulla tua.

LÆVA MANVS QVERITVR, QVOD HOC
sibi nomen inditum sit.

Corporis, heu soror! en ego par, vt dextera, cum sim, Epig. 55.
Infandum quæso cur mihi nomen inest?
Crimine cumque vacem, cum sim liuoris & expers,
Cur ego læua rogo, curque sinistra vocor?

IN LINVM, QVI MVNERE DECORATVS,
Amicos inuisere desijt.

Quemlibet ante videre Linus ducebat honori, Epig. 56.
Nunc videt hunc nemo, visitur ille nisi.
Hoc præstat munus, credit decus vnde venire,
Munere nobilis est, quo sine, vilis erat.

EST JESVS CHRISTVS PHOENICIS
instar.

Est Seruator noster auis Phœnicis ad instar, Epig. 57.
Crux sua nostra salus, huic rogus illa fuit.
At cinere ex Phœnicis sola renascitur vna,
Morte autem Christi quisque revixit homo.

IN MENDACEM, ET GARRVLVM,
Qui se alicui commendaturum promiserat.

Plura mihi, sed pro me fundere verba recusas, Epig. 58.
Aut adeò differs, vt pereamque modò.
Quæ mihi nec prosunt vlli, cum plurima fundas,
Quæ prodesse valent, cur precor vsque taces?

IN ALNVM, QVEM HERMVS FALSO *municificum prædicabat.*

Epig. 59. Alnus vt, Herme, tuus dat maxima munera multis,
Hunc celebras magnis laudibus hiſce tuis.
Largior ille poteſt, nec munificentior eſſe;
Irrides at eum, falleris atque ſimul.
Immeritò dat enim, vt multis, quæ pluribus aufert,
Pluribus eripiens, tunc quoque plura dabit.

IN MENDACEM, QVI MIRABATVR *quod Author non ſibi crederet.*

Epig. 60. Dic ſodes, tibi, cur quereris quod credere nolim,
Cum ſoleas vlli nil, niſi verba, dare.
Cum deuenerit huc tua jam fallacia, Paule,
Vt vix ipſe queas credere iure tibi.

BARBARI SVMVS, NON QVOS VOCAMVS *Barbaros.*

Epig. 61. Cujus longe equidem ſuperat prudentia noſtram,
Barbara gens nobis dicitur immeritò.
Omnia namque facit, rectæ rationis ad inſtar:
Illius expertes, cuncta patramus vti.

IN ALIQVEM, CVIVS NOMEN SONAT *Vrbanum.*

Epig. 62. Conueniunt rebus perſæpe vt nomina, nemo
Comior ante fuit; mitior atque ſimul.
Diuitijs ſemel vt fueras, & honoribus auctus,
Aſperior nemo, comis & inde minus.
Mitis & vt facies fallit, tua nomina fallunt,
Verte precor faciem, nomina verte, rogo.
Vt mores, tibi ſit facies, ſint nomina tandem,
Nomen vt, vt facies, ſint habituſque tui.

IN MARCVM VXORI OBTEMPERANTEM.

Epig. 63. Sexum, Marce, tuum nemo dignoſcere poſsit,
Coniugis vt ſexum noſcere nemo poteſt.
Vxorem redoles, vt enim ſub veſte virili,
Vxor fœmina ſic ſcit redolere virum.

Ne

Ne nos decipias, sis quæso, Marce, maritus,
Indue vel vestes coniugis ipse tuæ,
Aut nos decipiat coniux tua ne ve superba,
Sumere quas soleas, induat illa sibi.

IN EVNDEM MARCVM, NEC OBLATA, nec petita dantem.

Quæ deferre soles, cum nunquam oblata rependas, *Epigr. 64*
Abs te, quæque petant, qua ratione dabis?

IN EVNDEM.

Promissum accepto reputas pro munere munus, *Epigr. 65*
Oblatumque dati sic ais esse loco.

IN PVELLAM PESSIMÆ INDOLIS.

Conditio triplex vitæ est cujusque puellæ, *Epigr. 66*
Juncta viro seruit, nuptave sacra Deo.
Siue locans operam, qua tum stipendia quærat,
In vita cœlebs, hæc famulatur heris.
Istarumque tuo genio non conuenit vlla,
Mutari ratio nec tua, Galla, potest.
Forsan at esse rogas, possis qua sorte beata?
Viua nequis fieri, mortua, Galla, potes.

IN NANOS QVOSDAM HODIE DITISSIMOS

Hos natura facit Nanos, fortuna Gigantes: *Epigr. 67*
Sæpe Gigas meritis, Nanus vt, vsque jacet.

IN EOSDEM.

Deformis species Nanis dat posse placere: *Epigr. 68*
Virtutis vitium sic scit habere vices.

IN ALIQVEM LAVDIBVS INHIANTEM.

Laudari cupiens te cunctis laudibus effers, *Epigr. 69*
Laudarisque minus, quo magis ipse cupis.
Nec tibi sit mirum laudes, quod quisque recuset:
Non quod solus agas præstat, vt alter agat.

IN ALIQVEM QVORVMVIS NVNTIORVM *capidum.*

Epigr. Sint tibi falsa licet dantur, quæ nuntia quæque,
70 His gestire soles, hæc quasi vera forent.
Vt falli gaudes, quiuis te fallere gaudet,
Nec bona vera meret, cui bona falsa placent.

QVID SIBI VXOREM DVCENTI *contigerit, refert Author.*

Epigr. Diuitiæ capiunt homines, capit aut lepor illos,
71 Forma venusta capit, ponere docta iugum.
Forma prius cœpit me, post cœpere lepores:
Mox at opes capient, si capiendus ero.

IN ALIQVEM, NIMIS DE FORTVNA, *in aduersis sibi promittentem.*

Epigr. Rebus in adversis, vt non tristaris, amice,
72 Lætus es vtque nimis, spes vbi fausta fauet.
Sicque tua nulli censeris forte dolendus,
Sic rideris vbi spes tua lusa perit.

IN ADVLTERAM.

Epigr. Cum sua, non Paulo coniux, sed nostra vocatur,
73 Ægro fert animo, jurgia tumque mouet.
Sacra fides tamen haud facit hoc promissa marito;
Nolit at illa scelus prodat vt ille suum.

IN INJVCVNDE MVNERA DANTEM.

Epigr. Muneribus multis de paucis, Paule, mereris:
74 Res tibi mira tamen desinat esse rogo.
Grata licet cuiuis etenim sint munera semper,
Est modus in dando gratior ipse datis.
Sæpius at quæ das, cuiuis auferre videris:
Hocque modo danti gratia nulla datur.

IN ALIQVEM, SINE CAVSA, ET IMMODICE *ridentem.*

Epigr. Rides, nulla tamen tibi sit cum causa cachinni,
75 Et risum nobis sæpius inde moues,

Inde

Inde ſimulque venit nobis miſeratio ſæpe,
Semper enim ridens, ſæpe dolendus erit.

IN EVNDEM.

Rides immeritò, & ſemper cauſa ſine rides; *Epigr.*
Cauſa tui riſus ſis niſi forte tibi. 76

RESPONSVM NOBILIS CVJVSDAM Juvenis, non amplius decem annos nati.

Ingenioſus vt es, tàm paucos natus ad annos, *Epigr.*
Major vbi fueris, mens tua ſegnis erit. 77.
Hæc nimis arguto puero dicebat Adraſtus,
Cum puer ille citò talia verba refert:
Dictis hiſce tuis credendum ſi ſit, Adraſte,
Ingenioſus eras tu puer ipſe nimis.

IN MAXIMVM NEBVLONEM.

Non de te credis, narrat quod fabula, Marce, *Epigr.*
Nec ſi credideris, qualis es eſſe velis. 78

IMPRVDENTIA NOSTRA SÆPE VOTIS obſiſtimus.

Vota Deo facimus, votis obſiſtimus ipſi: *Epigr.*
Non igitur mirum, ſi male vota cadunt. 79

IN STELLAM, QVÆ SE, VT FALLERET, deceptam ſimulabat.

Aut nobis, vt ais, vere decepta fuiſti, *Epigr.*
Me ve dolum ſimulans, fallere, Stella, cupis. 80
Sic quocumque modò non te purgare licebit,
Et fueris fallax, ſtultave, Stella, mihi.

IN INEPTVM, QVI SE FOEMINÆ CVIDAM argutiarum cauſa, carcere clauſum fateretur.

Forte leuem ſtolidus culpam commiſerat Aulon, *Epigr.*
Quam tamen, vt lueret, carcere clauſus erat. 81
Præteriens illac, videt vt hunc fœmina quædam,
Carcere claudatur cur rogat illa modo?
Hic ſimulans culpam, poterat qua non reus eſſe,
Vnica noxa mea eſt mentis acumen, ait.

Hæcque refert sortis miserescens ejus iniquæ,
Criminis haud primi pœna luenda fuit.

IN INSIPIENTEM INSVLSE DOCENTEM.

Epigr. 82 Scribendi nobis dedit, & præcepta sciendi,
Qui nihil ipse sciat, qui didicitque nihil.
Regula sic Sophiæ hæc nobis haud certa manebit,
Nil dare quisque potest, ni prius illud habet.
Decipior verùm, fassus præcepta dedisse,
Et Sophiæ semper regula certa manet.
Ridiculas nobis normas præscripsit inanes,
Et dedit ille nihil, qui dedit hasce modò.

IN FOEMINAM, LIBERALITATEM *Authoris damnantem.*

Epigr. 83 In rebus modicis, memoro, cum multa dedisse,
Me modo derides, improperasque modò.
Rideo te pariter, multis cum rebus abundans,
Das nihil, aut soleas pauca rogata dare.
Perpetuò sileant vt nostræ, Galla, querelæ,
Di tibi dent animos, aut mihi sors det opes.

PATER IN PRIVIGNAS IRATVS.

Epigr. 84 Quod vos non genui, vestrum non esse parentem,
Dicitis, & meritò, verius estque nihil.
Indole sed vestrum Patrem, si forte refertis,
Me vobis melius vos genuisse foret.

IN EASDEM.

Epigr. 85 Non morbo perijt, sparsa est vt fama per Vrbem,
Vestra parens, conjux, heu! mihi cara nimis.
Indolis at prauæ morbo vis dirior omni,
Quam morbus nequijt, præstitit illa necem.

IN ALIQVEM VOCE FOEMINAM REFERENTEM.

Epigr. 86 Decipit hic oculos, aures & decipit vsque,
Est facie mendax, ore dolosus vti,
Esse virum reputes, formam si consulis ejus,
Fœmina dumque canit, creditur ille modò.

*** *** ***

IN ALDVM, DE QVO TANTVM FRATER eius detrahebat.

Verbis, Alde, ſuis nullum qui lædere nouit, Epigr. 87.
Te fratrem tantum vellicat ille modò.
Quid ſibi vult, ais, hoc, & quid nunc arguis inde?
Peſsimus, en dicam, ſolus haberis ei.

IN DVOS VIROS NOBILITATE, ET OPIBVS valdè diſpares, improbitate verò ſimiles.

Nec ſors eſt eadem, nec nobilitatis origo Epigr. 88.
Vobis, vos inter conuenit vſque tamen.
Haud mirum intereà juncti quod ſitis amore,
Prauis conſimiles moribus eſtis enim.

IN IDEM ARGVMENTVM.

Nec ſimiles opibus, nec nobilitate parentum Epigr. 89.
Conuenit inter vos cur bene, ſæpe rogant.
Neuter amans veri, neuter ſtudioſus honeſti,
Mutuus inter vos hinc amor ortus erit.

IN RIDICVLVM POETICÆ ARTIS CONTEMPTOREM.

Paucis pro nummis velles, ſi forte daretur, Epigr. 90.
Verſificandi artem cuilibet ipſe dare.
Majoris facias multò, ſi noueris illam:
Ars hunc contemptum non tibi nota facit.

IN IDEM ARGVMENTVM.

Carmina ſi ſcribas, pauci ſi, Bardule, nummi Epigr. 91.
Dentur, condideris carmina nulla modò.
Talia, vis fatear, nobis qui dicere poſsit,
Carmina, crede mihi, condere nulla poteſt.

IN ALIQVEM AVTHORIS IN SCRIBENDO facilitatem, nec viſis carminibus laudantem.

Verbis ne credas facile me condere poſſe Epigr. 92.
Carmina, ſæpe etenim fallere verba ſciunt.
Quæ me poſſe negant, verbis ne credito tandem;
Carmina ſed tantum conſule noſtra, precor.

*** *** ***

IN

IN ALIQVEM LVDENDO SEMPER vincentem.

Epigr. 93 Quæ luſu perdis, fruſtrà te ſoluere jactas,
Cum te ludentem vincere quiſque ſciat.

IN ALIQVEM NON PROMISSIS STANTEM.

Epigr. 94 Eſt mihi tum facies magno ſuffuſa rubore,
Pauca rogare fui, Paule, coactus vbi.
Sed quæ non præſtes, credam te, Paule, negare,
Sic majorque mihi naſcitur inde rubor.

NON DANDVM EST VLLA CVM MERCEDIS Spe, ad Gallum.

Epigr. 95 Si mittas aliquid, ne ſperes, Galle, remitti,
Hoc animo nunquam mittito dona precor.
Hac quæ mente dabis, poteris non dona vocare;
Sed quæ ſic dederis, vendere, Galle, voca.

NOBILIS FOEMINÆ D. FRANCISCÆ Chauarri C. Viri Ioannis Muxica Coniugis, laudatio.

Epigr. 96 Vna modo cum ſis, plures te cerno referre:
Si formam ſpectem, tu mihi pulchra Venus.
Carmina dumque refers, noſti quæ condere Phyllis:
Altera cenſeris docta Thalìa mihi.
Judiciumque tuum ſpectanti gnara Minerua,
Junonem referas greſsibus ipſa tuis.
Sic meritò extulerim te cunctis laudibus iſtis,
Sola referre vales, quæ ſimul vna Deas.

AD AMICVM N. COPPOLA.

Epigr. 97 Inuidus vt ſcriptis optauit inurere notam,
Cœcus, amice, tuis addidit ille decus.
Ergo tibi meritò numerabitur inter amicos,
Eſt odio cujus gloria parta tibi.

AD EVNDEM IN IDEM ARGVMENTVM.

Epigr. 98 Dedecus, ecce, tuis quærens infligere ſcriptis,
Inuidus ille ſuis nobilitauit ea.

Con-

Concitet ergo tuam, precor, vt non invidus iram,
Qui tibi damna parans, commoda plura tulit.

IN DVOS FRATRES, ALTERVM FORMOSVM, sed pessimum; alterum deformem, sed probum. Epigr. 99
Praua tibi facies, facies est optima fratri;
At promissa solet solvere neutra tamen.
Namque mala facie tu quæcumque optima præstas,
Vt pulchra facie pessima frater agit.

IN IDEM ARGVMENTVM.
Quæ facitis, visu vos dissimulatis vterque; Epigr. 100
Tu mala promittens, frater vt vsque bona.
Aut tua facta, precor, deformis, da bona fratri;
Aut sua pulchra tibi det, precor, ora malus.

SE NON DVLCEDINE VITÆ, SED TANTVM vt scribat, vitam optare innuit.
Ne me vitæ inhiare putes dulcedine vitæ, Epigr. 101
Viuere quod cupiam non venit inde mihi.
Abstulit vt nostri partem jam dira senectus:
Omnis sensus hebes languidus atque jacet.
Nox non ergo mouet fallax male sana voluptas:
Vnica mens agitat, spiritus ipse ciet.
Vt mihi jam vixi sat plures ante per annos,
Nunc alijs cupio viuere, vt ante mihi.
Præcipites anni reddunt me vt inutile pondus,
Vtilis en operis mens cupit esse suis.
Non omnis moriar (Lyricus dicebat vt olim)
Pars meliorque scio manserit vsque mei.

NOBILISSIMI VIRI MODERATIO IN fractura Pateræ, in qua libens admodum bibebat.
Illustris quondam Vir nobilitate suprema, Epigr. 102
Vt Reges inter qui numerabat Avos.
Cristalli è cyatho latices potare solebat,
Cui in quo vis alio potus amarus erat.
Forte viæ cuidam cum se commiserat ille,
Omissum casu tunc cyathum esse ferunt.

Ad

Ad diuerticulum primum vt venere sub horam
Mensæ, mos vt erat, de cyatho rogitant.
Jurgia tumque timens, Pateræ cui cura fuisset
Jam commissa, statim quærat vt ille abijt.
Nox erat, & magno tunc cum discrimine vitæ,
Quæsiit, attulit & quærere par quod erat.
Sollicitus Dominus sed de ipso forte rogarat,
Vt causamque viæ tunc ciathum esse sciit.
Absit vt, ipse piè dixit, necnon sapienter,
Nulli vnquam damno mollities mea sit.
Et fragilem frangendo, est visus fortis & ille,
Magnus & in minimis, victor vt ipse sui.

DE PHILOMELA QVADAM CANORA admodum, & facilè totius speciei suæ auium speciosissima, quæ blanditijs valdè gaudebat, & cuius obitus heræ grauis admodum fuit.

Epigr. 103 Flebilis es casu, fateor, Philomela canora,
Garrula, quæ Dominæ dona sonora dabas.
Pro donis ab hera, quæ blandimenta ferebas,
Et cum blanditijs oscula sæpe simul.
Atropos & teneros vitæ dum scinderet annos,
Contra te potuit dirius illa nihil.
Immitis Dominæ fuerit sed non minus illa,
Lucis vt ipsa tuæ stamina rupit atrox.
Tu mortis tantum crudelem es passa dolorem;
Mortis at illa tuæ nunc premit angòr eam.
Dum varios cantus, artes laudatque canendi,
Laus vt in ore semel, pectore spiritus it.
Vtque piam noui simul, vt te & amantis amantem,
Quam tua mors, eius durior angor erit.
Viuere forte velis ex te vt solatia quærat,
Eius amore nisi vel tua forte petas.

FOEDA CANIS, CVI NOMEN SMARAGDVS, quotiescumque irridentem se videat, tristis statim aufugit.

Epigr. 104 Credere nolueram, mihi res ni visa fuisset;
At simul obstupui, prodigium aspiciens,
Fers male, fœda canis, quod tu non pulchra videris,
Atque irrisa, simul tu fugis vsque citò.

Cum tantum ſenſus tibi ſit , dic , quæſo , vocata
Nomine cur gemmæ , non fugis ipſa quoque?
Quid pretioſi habeas , cur hoc te nominé ſignent?
Ablatum non eſt cur, poſitumque malè?
Es te reſpondens dignam cur nomine faſſa?
Sis ita cum riſu dignior ipſa quidem?
Nunc tamen vtque tuæ tædet me ſortis iniquæ,
Conſilium dederim , quo mala tu fugias.
Nomine ſi ſolito tandem te forte vocarint,
Tunc audire nihil fingito , crede mihi.
Et tibi ſenſus vt eſt , quod ſat dignoſcitur , vſque
Reſpuis vt riſum neſcia ferre iocos.
Ægrè ne toleres , ſi quis te irriſerit , atque
Ridenti oblatra , riſeris huncque ſatis.

SCOMMA IN SCRIBAS AB ORATORE Sacro iactum.

Scribarum fuerat ſacris vt in ædibus olim — Epigr. 105
Cœtus, & Orator tum pia verba dabat.
Templi per cameram Felis tunc viſus vt ire
Eſt , ſubitò dixit , jam comes alter adeſt.
Non placuit (referunt) Felis collatio Scribis;
Et meritò , fuerit cum minus ille rapax.

LIBER QVARTVS.

IN INGRATVM, BENEFICIJQVE IMMEMOREM.

Cur tibi, ſi rogitas , nolim donare petenti,
En tibi ſic referam, tu nihil ipſe refers.
Acceptique boni, vt te , non meminiſſe recordor: — Epigr. 1
Me renuiſſe tibi, te meminiſſe velim.

NVLLA GENS MELIOR DICI POTEST, quàm altera.

Non melior gens hæc, nec quavis altera pejor
Hæc eſt, tolle bonos , peſsima quæque fuit, — Epigr. 2
Ex hac tolle malos , hoc ſi præſtare valebis,
Hæc quavis alia ſanctior ecce modo.

IN MAGNATEM NON PROMISSA
seruantem.

Epigr. 3 An promiſſa mihi ſeruaris, ſi rogitarint,
Neſcio quid referam, ni mala verba loquar.
Stes ergo promiſsis, poſsim vt grata referre;
Stes modo pollicitis, tu bona verba dabis.

IN MALEDICVM DE SE ETIAM
Detrahentem.

Epigr. 4 Mordaci nullum lingua non vellicat Aldus,
De notoque ſolet durius ille loqui.
Ne mirumque precor nulli quod parcere poſsit:
Sæpius ignouit parcere namque ſibi.

IN HELLEM PROBE ALIJS MALE SIBI
conſulentem.

Epigr. 5 Rebus in aduerſis quid agam, mihi conſulit Helle,
Proponitque modos, quos adhibere queam.
At quæ conſilio in proprijs non vſa ſit vnquam,
In noſtris meritò, num precor, vtar ea?

QVI REVM, SI POSSIT PLECTERE,
non plectit, magis, quàm ille, peccat.

Epigr. 6 Quam reus, ille magis peccat, qui plectere ſontem
Poſsit, & incolumem mitis abire ſinat.

IN LVSORES, QVORVM, SI VEL TEMPVS
ſolum perdant, eſt iactura irreparabilis.

Epigr. 7 Non perdit tantum nummos, qui ludere geſtit,
Tempus vt, & requiem perdere namque ſolet.
Et luſu felix poterit, ſi vincere ſemper,
Quæ perdat quæſtu, ne reparanda putet.

IN VETVLVM AVARVM.

Epigr. 8 Annos iam natus plures, cur ducere nolit
Vxorem, rogites, noſter amicus Hylas.
Quod dare non poſsit vetulus, ceu nolit avarus
Vxori, ex alio ne petat, ille timet.

*** *** ***

IN HYLAM DIVITEM, ET AVARVM,
se perpetuò egenum dicentem.

Diues Hylas cum ſit, ſemper ſe dicit egenum, *Epigr.*
Atque petita negat, ſint licet illa nihil. *9.*
Non tamen vllus eum mendacem dicere poſsit,
Qui ſit auarus enim, pauper & ipſe fuit.

SÆCVLI NOSTRI AMICIS NVLLA
prorſus fides.

Quis Sapiens hujus ſæcli confidat amicis, *Epigr.*
Sola fides quibus eſt vtilitatis amor? *10*

IN HELLEM AVARAM CONSILIA
vltrò dantem, quibus tamen ipſa indigeat.

Conſilium mihi das vltrò, ſed cuncta roganti *Epigr.*
Illa negare ſoles, quæ peto grata magis. *11*
Quod das, non opus eſt nobis, vellemque negares:
Da mihi quæque negas, cætera ſume tibi.

IN PAVPERTATEM.

Quæ celebrata fuit Senecæ, tanquam Dea, ſcriptis *Epigr.*
Paupertas, fuerit nomine nota modò. *12*
Vt mihi, re ſed ei, ſi cognita forte fuiſſet,
Eijcienda, ſcio, non ea culta foret.

IN ALIQVEM PARANTEM, SED NON
ſeruantem amicos.

Nil prorſus facias plures dum quæris amicos: *Epigr.*
Ni ſeruare ſcias, quos paris arte ſemel. *13*

LITERARVM AMOREM OSTENDIT.

Diſcere per ſomnum poſſem, ſi evolvere libros, *Epigr.*
Quam quæuis requies gratior iſta foret. *14*
At mens naturæ, menti natura repugnat:
Sic ſomni requies fit mihi grata minus.

AD INSTABILEM AMICVM.

Laudibus vſque tuis cur me celebrare ſolebas, *Epigr.*
Ni meruique prius, cur tibi charus eram? *15*

Vt fuerimque tuo, si nunc sim dignus amore,
Cur me nunc horres, cur fugis vtque grauem?
Sic quocumque velis tu nunc te vertere, Læli,
Stultus habendus eris, cæcus erasve prius.

AD CLARISSIMVM, NECNON DOCTISsimum I. Villanouensem.

Epigr. Carmina pauca quidem, sed nostra nouissima mitto:
16 Mittere quamque tibi, gratius ire foret.
Forsan obesse queat verum præsentia rebus,
Dumque vacas possunt carmina nostra legi.

AD EVNDEM.

Epigr. Si tibi res sinerent, possem te lætus adire:
17 Ingratus nolim, me, precor ergo, voca.

IN INFIDVM.

Epigr. Non mirum rectè, si nos haud conuenit inter,
18 Est tua Græca fides, Gallica, Paule, mea.

VITA CVM LAMPADIS LVMINE comparatur.

Epigr. Cum vigilo, luce exigua reparante tenebras,
19 Fulget vt illa prius, cernere sæpe lubet.
Anteque quam pereat, solet vt contendere vires,
Visa perire modo, moxque reviuit vti.
Ast animam tandem tenues emittit in auras,
Deficiente simul, cum semel esca deest.
Cernitur at tremulæ sic in certamine lucis,
Vt vitæ, nostræ mortis imago simul.

AD CELSISSIMVM COMITEM L. CÆSAREÆ *Majestatis ad Hispaniarum Regem Nuncium Extraordinarium, de Equestri Aurei Velleris Ordine, quo insignitus est.*

Epigr. Insigni Iuvenis fulges dum Vellere semper,
20 Quo tua Progenies visa nitere fuit.
Tum, Lodoice, satis, neutrum decernere posim,
An Regi potius gratuler, an ne tibi.
Justitiam Regis solventis præmia cerno,
Et meritum video sic, Lodoice, tuum;

Gra-

Grater vtri dubitans verum jam grator vtrique,
Munera quique capit, munera quique dedit.
Gratulor atque tibi ſobolis qui Cæſaris almæ,
Hoc inter famulos ſolus honore nites:
Gratulor illorum cuiuis, cum poſsit honorem
Hunc ſperare tuum, ſi modo dignus erit.
Et quos jam mereas, & quos, Lodoice, pararis,
Gratuler vſque tibi, gratuler vſque mihi.
Abs te namque tuo vero dignatus amore,
Et decus opperior, præſidiumque meum.
Et qui noſtra negat Iudex, qui carmina vidit:
Hæc, niſi cœcus erit, carmina noſtra ſciet.

IN GALLVM INVRBANVM, ET MORDACEM.

Vrbanum meritò Gallum jactas, & acutum: Epigr.
Viuit in Vrbe, etenim pungere ſcitque ſatis. 21

IN LVSOREM, MALE SOLVENTEM.

Quæ luſu perdis tantum non ſoluere curas, Epigr.
Reſque tuæ, fama diſpereunte, manent. 22

IN ALIQVEM MODO SPERANTEM, MODO deſperantem, ſed ſine cauſa ſemper.

Rideo deſperas, cum ſperas rideo necnon: Epigr.
Neutrius eſt etenim cognita cauſa tibi. 23

IN CÆLIAM FAMVLAS TENVES OB CAVSAS increpantem, ſi quid immodeſtius agerent, ſilentem.

Cælia vult caſtas famulas nec honoris amantes, Epigr.
Factis quippe ſinit, quæ vetat ore modò. 24

IN AVEM CANTIVNCVLAM ARTE CANERE edoctam, quæ tamen vbi finem impoſuiſſet, ad natiuum modulamen rediret.

Hæc modulatur auis prius, vt quæ ſumpſit ab arte, Epigr.
Quæ natura dedit, poſt canit illa tamen. 25
Grata quidem fuerint, quamuis quæ nos docet illa:
Quæ tamen edocet hæc, ſunt ea grata magis.

EPI-

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Epigr. 26 Quæ tibi permulti vix, Marce, parâre triumphi,
Hostibus una tuis pax dedit icta modo.
Non tecum certent armis, sed fœdera pangant,
Vincere te victi, fœdere namque scient.

IN FIRMICVM, QVI, QVÆ POSSET DARE, sæpe petita abnueret.

Epigr. 27 Abs te aliquid me, Firmice, cum penuria pressit,
Postulo si interdum, semper & ipse negas.
Dura quidem nunquam te credo tempora passum,
Qui dare quæ possis, quique petita neges.

IN ALIQVEM NOBILITATEM, DIVItiasque ostentantem.

Epigr. 28 Quos olim curasti, aut curauere parentes,
Est tibi, nouimus vt, nobilitas ab equis.
Thesaurosque tuos, & jactas quæ bona nobis,
Carbones tantum cuilibet esse patet.

DELICIJS MAGIS, QVAM HOSTIVM viribus frangitur animus.

Epigr. 29 Victor Romanorum hostes, qui fregerat olim,
Qui bello strenuus, quique timendus erat.
Qui Romanorum est victus victricibus armis,
Delicijs Capuæ est victus at ille magis.

IN IGNARVM LINGVÆ GALLICÆ PRÆCEPTOREM

Epigr. 30 Francorum præceptis cum lingua imbuis Artum,
Tam rectè loquitur, quam loquor ipse, refers.
Barbara sed tibi, Barbare, cum sit Gallica lingua,
Vituperas illum, cum celebrare putas.

SAPIENS EX PROBITATE VITÆ diuturnitatem colligit.

Epigr. 31 Non sapiens vitam multos metitur ad annos;
Viuere nec multum tunc putat esse satis.
Qui male vixit enim reputat vixisse parumper;
Nec vixisse parum, qui bene vixit, ait.

IN

IN NEBVLONEM MENDACEM.

Seria cum tractas, tractas cum resque jocosas, Epigr.
Cum somno indulges, cum peragisque vigil. 32
Quolibet inque statu semper mendacia fingis,
Esque adeo vitæ propositique tenax.
Inuito vt genio, verum si dicere velles,
Sic nec haberetur tunc tibi certa fides.

IN MALEDICVM IMPRVDENTEM.

Cuilibet, & de quovis plurima fundere gaudes: Epigr.
Lædere quæ possunt, quæque nocere valent. 33
Cum similisque tui sic tendis inurere notam,
Tunc obtrectator, tuncque malignus agis.
At tua, si reputas, læsis non dicta referri,
Insanus sane tunc, & ineptus eris.

IN MENDACEM.

Deterius nihil est, nihil est vel turpius, Arcme, Epigr.
Spretis quam verbis, fallere sæpe fidem. 34
Si cupies ergo hoc in te ne dictitet vllus,
Talia ne facias, dicere nemo volet.

AD AMICVM, IN FALLACEM.

Verba mihi dederit jam cum tot inania Carmus, Epigr.
Esse quibus fallax, plus satis esse liquet. 25
Amplius, vt rogitas, illum cur visere nolo?
Quæque mihi debet, mittere sicque velim.
Contactus vereor ne, quod non præstitit vnquam,
Esse det, & mendax ne redeamque modo.

IN LINVM PRÆ HONORIBVS SVPERBIENTEM, ad Amicum.

Sæpe, nouoque Linus noster cumulatus honore, Epigr.
Inflatur pariter sic magis inque dies. 36
Ah si fata darent adeo inflaretur vt ille!
Sed quare, rogitas? vt crepet ille modo.

AD

AD AMICVM, CVR MVSÆ INNVPTÆ *vitam agant.*

Epigr. 37 Cur credis Musas innuptas degere vitam?
Vis referam paucis? en tibi causa patet.
Dotibus hæ quamuis possint vel mille placere,
Nubere qua valeant, deficit vna tamen.

IN HOMINEM MENDACISSIMVM, QVEM *sub varijs nominibus Author castigauit.*

Epigr. 38 Plurima fallaci dederim si nomina, cuidam
Pollicitis docto ludere quemque suis.
Nomine sub vario, cum sit tam cognitus Vrbi,
Idem semper erit cuilibet ille tamen.

PROSPERA VITA GRATIOR INFELIX *moribus vtilior.*

Epigr. 39 Libera cum curis, expers cum vita malorum
Transit, tunc cupimus sitque perennis ea.
At multis si forte malis agitata jacebit,
Tum pariter cupimus transeat illa breuis.
Soluit & errores nostros hæc, gignit vt illa,
Vtilis hæc magis est, altera grata magis.

EPIGRAMMA SIMVL LAVDANS, *& increpans.*

Epigr. 40 Legerat obscuro Authoris sermone libellum,
Scribendi doctus, quique peritus erat.
Censeretque roganti, quid respondit amico:
Scriptis ex illis, quæ capio bona sunt.
Cætera sic mentem nostram, quæ præteriere,
Sint ignota licet, judico recta tamen.

AD CELSISSIMVM C. L.

Epigr. 41 Abs te, quæ petij, te spero quæque daturum,
Abnuis haud equidem, sed dare non properas.
Cumque moræ impatiens abs te promissa reposco,
Ne precibus lassem, ne repetamque, iubes.
Mandata vt seruem, normam præbere memento:
Bis ego ne repetam, tu semel ipse dato.

IN MEDICVM.

Nunc incedit inermis, qui prius arma ferebat, *Epigr.*
Cum species Medici, Belligerique foret. *42*
Arte sua contentus, nunc quare illa reliquit?
Vt perimat cunctos, ars satis esse valet.

IN IGNOBILEM SVPERBVM.

Ex me cum rogites stirpe an sit nobilis Albus, *Epigr.*
Solvere sic dubium, sicque referre juvat, *43*
Parua fuit dum sors, humilis quoque tum fuit ille,
Res animos fecit, crescere cœpit vbi.

ILLVSTRISSIMI, NOBILISSIMI, NECNON *inclytæ virtutis adolescentis D. Francisci ab Borja & Castro in Namurci obsidione occisi,* *Epitaphium.*

Hoc jacet in tumulo juvenis Mauortis Alumnus, *Epigr.*
Funere qui multo, funeris vltor obît. *44*
Si spectes animum, jacet hoc sub marmore Mauors,
Si formam spectes, hicque Cupido jacet.
Mars erat ille etenim, Martis dum bella gerebat,
Depositis armis, os & amoris erat.

AD CELSISSIMVM COMITEM L.

Stares vt promissis, asserui fore, Princeps, *Epigr.*
Pignoribus positis inter & octo dies. *45*
Ausus sicque tuis verbis deponere nixus,
Fac precor vt vincam, victor vt esse queas.
Cumque tua, atque mea intersit, jam consule, quæso,
Pignoribus positis, tum fideique datæ.

SVB NOMINE FICTO, ALIQVEM VETERES *tantùm laudantem, increpat.*

Non laudas veteres, veterum succensus amore, *Epigr.*
Hujus at hos laudas temporis inuidiâ. *46*
Tæderet meritos equidem laudare recentes,
Laudibus vt celebres, præstat obire prius.
Laudatis tua si tanti præconia constent,
Nolo quidem laudes, Æmiliane, tuas.

IN EVNDEM.

Epigr. 47
Temporis huius vbi quisquis sua scripta recenset,
Omnibus in scriptis nil ais esse noui.
Laudibus vt parcas, juvat hæc te dicta referre,
Vituperansque noui dixeris ipse nihil.

IN INVIDVM.

Epigr. 48
Cum censes bona, quæ tibi carmina nostra leguntur,
Inuidus, esse tamen carmina nostra negas.
Par tibi non retuli, tua quando carmina legi,
Crediderim tacito nomine namque tua.

AD CELSISSIMVM COMITEM L.

Epigr. 49
Quæ promissa citò dederis, te crede dedisse:
Quæque dabis lentè, soluere crede modo.
Pondera, quæ veniunt tardè, non munera credas,
Quæque citò veniunt, munera grata putes.
Debita nec solues, tardè si solueris illa,
Et si multotiès siueris illa peti.

IRIDIS LAVDATIO.

Epigr. 50
Quæ mihi sunt linguæ sex, te celebrare iuvaret,
Sex vt te celebrem, si satis esse queant.
At, quis ait, multis laudandis sufficit vna:
Sex laudari ergo cur, precor, vna nequit?
En paucis referam, quod multæ, sola mereris:
Nec tibi, quod multis, sic satis esse valet.

NIL CRIMINE PEJVS EST.

Epigr. 51
Tu crimen timeas, at non pro crimine pœnam:
Nil Sapienti etenim crimine pejus erit.

RIDICVLVM PRORSVS EST, EO QVOD NIHIL *noui scribi, excogitari, aut efferri posit, nihil ideò scribendum, aut dicendum existimare.*

Epigr. 52
Perpetuò fuerint servanda silentia nobis,
Si noua, cum loquimur, sint referenda modo.
Scribere nec sit opus, si quæ jam scripta leguntur,
Nobis post natis non iterare licet.

At ridenda quidem nobis ſententia talis,
Quæ commune quod eſt, non tamen eſſe velit.
Quæque prius nati primi dixere parentes,
Poſterius natis hæc referenda negat.

IN QVEMDAM THRASONEM, QVI JAM inita pace, bellaturus abijt.

Hæc, veni, vidi, vici, jactare ſolebat Epigr.
Cæſar: ſi demas vltima, Cæſar eris. 53

IN EVNDEM NOBILEM, ET INCONSTANTEM.

Eſt facies tibi manè, eſt necnon altera noctu, Epigr.
Altera tum medias Sole tenente vias. 54
Dum creſcitque dies tibi, tum quoque cernitur alter
Viſus, & eſt alius deficiente die.
Prothæus haud igitur mirum, quem fabula fingit,
Mobilis es re etenim, nomine at ille tenus.

IN LESBIAM DIVITEM, ET AVARAM.

Munera ne quis det, cum das præcepta cuique, Epigr.
Suades exemplo docta negare tuo. 55
Das etenim danti cum das, hoc vendere dicam:
Cum, quo plura dabis, tu quoque plura feres.

IN EANDEM.

Diuitiæ impenſis tibi cum ſint, Lesbia, magnis, Epigr.
Te rogo cur minimis te illachrimare vident? 56
Ne ſumptus plores, animum ſed flere memento,
Pro re tam turpi, qui tibi flere ſinit.

IN AMASIAM, CVI NOMEN IRIS.

Iris erat nobis perjucundæ Iridis inſtar: Epigr.
Eſſet amans noſtri, cum ſimul æqua foret. 57
At ſemel illa quidem nos vt deſiuit amare,
Triſtis Orion eſt Iris amara mihi.

IN SCVRRARVM STVDIOSOS, ET amantes.

Non aberit longè à ſcurra, cui ſcurra placebit: Epigr.
Nam ſimilis ſimili gaudet vt vſus habet. 58

VITA NON EX DIVTVRNITATE æstimanda.

Epigr. 59 Est vixisse diù Coruorum ingrata vetustas:
Vtilis, vt longa est, sit nisi vita quoque.

PROMISSA SERVANDA SVNT.

Epigr. 60 Quæ promissa semel facias, seruare memento:
Nam fecisse modo, haud nec meminisse, sat est.

IN ÆMILIANVM.

Epigr. 61 Te, Æmiliane, quidem plures pluris faciebant
Primò, at quaque die est fama minuta tua.
Vt tibi, quæ remanet serues, mutare memento,
Æmiliane, modos, aut cito cede loco.

AD C. P. D. MITTENDO AD EVM Amphoram grandiusculam, vt eam vino repleri juberet.

Epigr. 62 Magna quidē nimis est, tibi quā mitto, amphora, Princeps:
Mittito, parua sit vt, quam capit illa, minus.

AD EVNDEM.

Epigr. 63 Spe si quis biberet, biberit tot pocula nemo:
Ebrius at modo spe, re sitibundus eo.

AD ALIVM IN IDEM ARGVMENTVM.

Epigr. 64 Parcito, visa tibi fuerit quod magna lagena:
Parcito, quod visus sis mihi magnanimus.

AD FONTEM IN STERILI LOCO extructum.

Epigr. 65 Omnia sedibus his natura negabat auara:
Sedibus ars ipsis prodiga cuncta dedit.

ALIVD IN IDEM ARGVMENTVM.

Epigr. 66 Natura sterilis, cunctis fœcundior arte,
Sedibus inuitis, cernitur ista domus.

*** *** ***

DE DOMVS IPSIVS PROSPECTV.

Quatuor hæcce domus partes circunſpicit Orbis, Epigr.
Luſtrat in Orbe magis lumine nulla ſuo. 67

DE PERENNITATE FONTIS EJVSDEM
Domus, cùm aliàs ibidem magna eſſet aquarum penuria.

Quos prius hic latices grati natura negabat, Epigr.
Arte juvante modo, fonte perenne fluunt. 68

IN RVCTANTEM, MOXQVE OS
Operientem.

Ructibus emiſsis, precor, os cur claudis, amice? Epigr.
Claudere ructus hoc præſtitit ante tuos. 69

AD CELSISSIMVM PASTRANÆ DVCEM.

Grata licet nobis ſint, dantur quæque petita: Epigr.
Grata magis multò, ſunt data ſponte tamen. 70
Quique petita citò dederit, ſi bis dedit ille,
Sponte citò vt dederis, tu quater ipſe dabis.

AD CLARISSIMVM, NOBILISSIMVMQVE
Virum Emmanuelem Toletanum.

Abs te nulla peto, Princeps, etſi omnia ſpero: Epigr.
Cur etenim rogitem, qui dare ſponte cupit? 71
Pauca tamen veniâ non te rogitare recuſem,
Scilicèt hocce rogo, ſis memor vſque mei.

IN MVLTA PROMITTENTEM, NVLLA
Dantem.

Te quacumque die dicis donare paratum, Epigr.
Accepturus ero ſic ego quaque die. 72

IN TARDIVSCVLE MVNERA DANTEM.

Si cito, qui dederit, fertur bis ille dediſſe, Epigr.
Gratior, & cuiuis gratia prompta fuit. 73
Plura licet dederis tua, das vt munera lentè,
Viſus eris nunquam, vel ſemel ipſe dare.

IN IDEM ARGVMENTVM,

Epigr. Si promiſſa ſemel quiuis ſibi debita cenſet,
74 Ne dato nunc, rogito; ſoluito, quæſo, mihi.

IN ALIQVEM HAVD GRATE DANTEM.

Epigr. Quæ cito promittis, ſtultè, das tardius vſque:
75 Nec ſatis impenſis parcis, vt ipſe potes.
Sed facienda tibi, pecces ne, dixero quæ ſint,
Diſce negare modo, aut gratius ipſe dato.

IN AVLVM.

Epigr. Ne, precor, in ſpem quotidie me adducere pergas;
76 Aut dare quid melius iam properato mihi.
At properare quidem nulla ratione valebis.
Et tardè dederis, des licet, Aule, cito.

IN LÆLIVM.

Epigr. Abs te nulla peto verum, clariſsime Læli,
77 Quæ debes tacitè, me rogitare puta.

IN ALIQVEM NOMINVM SOLVTIONEM *pro munere reputantem.*

Epigr. Debita, quæ ſolvis,nunquam non munera cenſes:
78 Et meritò, male enim ſoluere ſæpe ſoles.

IN GALLVM PARENTIBVS ABSIMILEM.

Epigr. Galle, taces de te, ſolitus laudare parentes:
79 Quæ bona ſunt, laudas; quæ mala, jure ſiles.

IN EVNDEM.

Epigr. Quæ ſit pollicitus, jurat ſe cuncta dediſſe
80 Gallus, jure quidem, ſpondet at ille nihil.

IN EVNDEM GALLVM.

Epigr. Patribus ingenuis genitus dum, Galle, ſuperbis,
81 Hos merito ſubeat te genuiſſe pudor.

IN STOLIDVM.

Aſſeris in Patria cunctos cur mente valentes, Epigr.
Cum ſi te referant, hoc ſecus eſſe putent? 82

IN CÆLIVM.

Cælius haud alieno affirmat ſe ære teneri: Epigr.
Et meritò, huic etenim credere nemo velit. 83

IN PAVLVM QVERENTEM, QVOD NON *eſſet ſorte ſua contentus.*

Sorte ſuà nemo contentus vixerit vnquam: Epigr.
Quodque datur nulli, vis tibi, Paule, dari? 84

FELIX EST TANTVM, QVI SE FELICEM *exiſtimat.*

Non felix eſt, felicem quem cenſeat alter; Epigr.
Sed qui felicem ſe putet eſſe modò. 85

IN SYLLAM NIMIS VXORI *obtemperantem.*

Immeritò Syllam vxorem duxiſſe putaris: Epigr.
Falleris hoc credens, nupſerit ille modò. 86

IN EVNDEM.

Magna Sylla domi jactat ſe pace potiri: Epigr.
Jurgia nam coniux dum mouet, ille tacet. 87
At mihi cara nimis Sillæ pax iſta videtur,
Nec pretio hoc vellem ſanè ego pace frui.

IN AVLVM MVNIFICVM SE PRÆDI- *cantem.*

Cunctis cum ſolitus ſis, Aule, negare petita, Epigr.
Quomodo te, quæſo, ſponte dediſſe putem? 88

IN EVNDEM.

Abs te, quæ petij, mihi non conceſſa fuere; Epigr.
An doleam, rogitas; non dolor, Aule, manet. 89
Ergo quid exoptas? ais. Audi, pauca rogabo:
Neutrius, en precor, vt jam meminiſſe velis.

IN ALIQVEM MALVM POETAM *Laudantem.*

Epigr. 90 Hirti cum laudas, mea ne, rogo, carmina laudes;
Nam mala tu celebrans, ſic bona vituperas.

IN NOBILEM INVRBANVM ET AVARVM.

Epigr. 91 Nobilis, & diues, cum poſsis, Galle, parare
Haud vulgare decus, tum ſtudiumque ſimul.
Inde tibi nullum, nullum cur quæris amorem?
Ecce colis nullum, munera nullaque das.

IN ALIQVEM MALE CVM CREDITORIBVS *Agentem.*

Epigr. 92 Solue mihi. Non eſt, ais, vlla pecunia nobis:
Altera cauſa manet, ſoluere nolle tuum.

AD PATREM OBITVM FILIJ LVGENTEM.

Epigr. 93 Immeritò ploras, reddis, quem perdere cenſes:
Nam data nulla tibi, ni repetenda modo.
Filius ecce tibi fuerat conceſſus ad vſum,
Ablatumque doles, qui repetendus erat.

VITA SAT LONGA FVERIT, SI BONVS *fuerit illius vſus.*

Epigr. 94 Deſipiunt mortales, de brevitate querentes
Vitæ, namque vſu fit breuis ipſa magis.
Si longam cupiant, talem præſtare valebunt,
Vel cuiuſque brevis, ſi bonus vſus erit.

IN FATVVM, ET IGNARVM IMMERITO *increpantem.*

Epigr. 95 Quin plaudas mihi, me inſequeris latratibus, Alde,
Atque canum cœtus te facit eſſe canem.
Hæres vt fatuis, es vt hoc cognomine notus:
Quemlibet allatras, qui valet ingenio.

IN GLAVCVM IGNARVM, ET MALE DOCENTEM.

Epigr. 96 Abſtinuit Glaucus prudens dum velle docere:
Eſt, licet à paucis, creditus eſſe ſciens.

Ast, dedit in lucem vana vt præcepta loquendi,
Omnibus ignarus creditus esse fuit.

AD EVNDEM.

Scriptis ecce tuis nomen dum quæris inane; *Epigr.*
Quæ fuerat quædam, nunc tua fama perit. *97.*
Doctior en cunctis quærens sic velle videri,
Omnibus indoctus visus es esse modo.

IN MAGISTRVM IGNARVM.

Me rogitas possis bene qua ratione docere: *Epigr.*
Audi, quæ referam, tu modò disce prius. *98*

DIVITIÆ NON DOMINO INSERVIENTES, *hoc nomine indignæ.*

Diuitiæ nunquam fuerint hoc nomine dignæ, *Epigr.*
Aurea, quæ domino vincula dura dabunt. *99.*

NOSTRA IVRE MODO DICVNTVR, QVÆ *paramus.*

Non tua sunt, Hermes, tibi quæ liquere parentes; *Epigr.*
Sed tua iure potes dicere quæque paras. *100*



LIBER QVINTVS.

MERITA AVIS FRETA NVLLA SVNT.

Hic cecidisse putet meritis, qui fretus Auorum, *Epigr.*
Vt decet, haud vllis, nititur ipse suis. *1*

AMOREM SVVM AVGET.

Quantus amor noster sit, si dignoscere posses, *Epigr.*
Major, quam cupiam, tunc tuus esset amor. *2*
Discere sed nequeas pariter, nec dicere possim,
Sit precor inde meus noscito quantus amor.

CONSTANTIAM COMMENDAT.

Nomina mille mihi formæ sunt, mille & amoris; *Epigr.*
At sub tot formis est tamen vnus amor. *3*

DISCRIMEN INTER SE, ET ALIVM ex felicitate tantum.

Epigr. 4 Nec dotes, nec Aui, inter nos discrimina ponunt;
Ingenio tibi nec cedere visus ero.
Quò, dices, igitur tantum distare videmur?
Res mihi nulla fauet, res tibi nulla nocet.

NON AMORIS CAVSA HÆRES DE VALETVDINE sollicitus.

Epigr. 5 An habeas bene multoties interrogat Aunus,
Hæres te salvum, quod velit esse putas?
Sæpe tuæ fateor vexat sed cura salutis;
At dolet ille modò, quod nimis hæc bona sit.

IN DOCTI, SED IMPIJ HOMINIS OBITVM.

Epigr. 6 E viuis abijt Scriptor tandem ille disertus,
Creditus est viuens, credere quique nihil.
Qui nec mente magis sanus, cum viuere cessat;
Vixerat impius vt, mortuus haud secus est.

IN IDEM ARGVMENTVM.

Epigr. 7 Quem doctè quondam multi scripsisse putarunt,
Ignarus veri nouerat ille nihil.
Qui moriens etenim vt viuens, nil credidit vnquam,
Hunc meritò viuum nil quoque scisse rear.

FORTIOR EST QVOLIBET PROSPERAM sortem perferre doctus.

Epigr. 8 Aduersæ sortis pondus qui ferre valebit,
Hic equidem fortis nomine dignus erit.
Fortior at fuerit multò & constantior ille,
Qui perferre queat prosperitatis onus.

IN MEDIOCRITATE PRVDENTIA.

Epigr. 9 In cunctis cupias prudens si semper haberi,
Tu lentè nec agas, nec properato nimis.
Non præceps Phaeton cecidisset fulmine tritus,
Par vt erat medium, si tenuisset iter.

IN

IN MENTIS ORBVM.

Quem querulum cernis, queſtu qui creditur æger, *Epigr.*
Integer eſt equidem: cur ais ergo dolet? 10
Ille valet fateor, forti ſed corpore tantum:
Cætera ſi taceam, cætera dico tacens.

IN MALE SOLVENTEM, ET QVERENTEM tamen, quod debita peterentur. *Epigr.*

Abs te ſollicitus ſi interdum debita poſco, 11
Illico diffiſum me vocitare ſoles.
Sed mihi certa fides in te, quæ jam valet eſſe,
Promiſſum toties, ſi caret vſque fide?

IN PAVLVM IN INCERTIS CREDVLVM, in veris incredulum. *Epigr.*

Dicitur vt, cunctis Paulus ſe credit amari: 12
Magna fides homini eſt, nemo reuelat enim.
Odère & referunt, verum tunc dicta repellit:
Nulla fides illi, quod nocet, eſſe negat.

IN MALVM POETAM INSVLAREM, & cœcum.

Carmina quod Tullus condat, ſe credit Homerum; *Epigr.*
Nec minus inde ſuis ponderis eſſe putat. 13
At quò ſe referant arridet, nuncque referre:
Inſula vtrique parens, cœcus Homerus erat.

IN AMBITIOSVM, NIMISQVE TVRGIDVM.

Nobilis eſt equidem, eſt illuſtri ſanguine natus;
Sed premit hunc nimius ſemper honoris amor. *Epigr.*
Sic vereor referens cœcam ranamque ſuperbam, 14
Ne pereat, magnis major vt eſſe cupit.

MVNERA MVNERIBVS, NON DAMNA damnis ſemper rependenda.

Muneris ecce memor ſemper tu munera confer: *Epigr.*
Læſus & interdum, parcere diſce quoque. 15
Vltio magna ſatis fuerit non damna referre:
Nil timet innocuus, qui nocet vſque timet.

VERBOSITAS DAMNANDA.

Epigr. 16
Fusior in verbis, quæras ne doctus haberi:
Nec jucunda putes, nec bona plura nimis.

NOBILEM, QVONDAM VRBANVM, NVNC autem præ honoribus turgidum, increpat.

Epigr. 17
Comis erat quondam, grandis sed cum minus esset,
Grandior at factus, nunc tenuissimus est.
Sed major fuerat multò, esset cum minor olim:
Nunc & erit quod erat, si modo comis erit.

IN LÆDENTEM LÆSVM FVGIENTEM.

Epigr. 18
Dum faciem fugis insanus, præcordia quæso
Conscia delicti, num fugis ipse tua?
Me læsum immeritò præsentem læsus habebis,
Namque memor noxæ, plectitur ipse satis.

IN DIVITEM FATVVM, DOCTI NOMEN affectantem.

Epigr. 19
Diuitiæ tibi sunt, nulloque labore paratæ:
Dotibus his vitam, credito, lætus age.
Aut alijs inhians, illas curato parare:
Non sit vt in magnis, nec voluisse sat est.

EPIGRAMMA JOCOSVM.

Epigr. 20
Vt pennas acuo Philis, queis scribere possit,
Forte probans vnam, te illico scripsit, amo:
Illas sæpe probet pennas, amo scribat vt illis,
Sæpeque sit pariter penna acuenda mihi.

QVÆ FACIENDA SINT AD PROBE viuendum.

Epigr. 21
Vt bene tu facias, duo tantum hæc, oro, memento:
Quid male agens reputes, quæque putent alij.

IN ALIQVEM MVNIFICI TITVLVM SIBI arrogantem.

Epigr. 22
Cum mihi munificum te collaudaueris olim,
Credideram, talem te decet esse etenim.

Debita

Debita non solvens, verum jam sæpe petita,
Qualem te credam, dicere non opus est.

QVANTA SIT SVA IN SCRIBENDO Facilitas, ponderat Author.

Me cessare jubes scribentem, cernis vt vsque, Epigr. 23
Quod labor est alijs, ludere crede mihi.

EPIGRAMMMA JOCOSVM.

Quid faciam, rogitas? Nil, nam licet vsque laborem Epigr. 24
Perpetuò patior: num precor hoc facere est?
Quomodo sed dices? Dubium sic solvere possim,
Viuere cum fatuis, num puto iure pati?

IN ALIQVEM DEBITA FATENTEM, NON verò soluentem.

Debita cum repeto, mihi debita voce fateris; Epigr. 25
Perpetuò at factis cur precor illa negas?
Nunc vno solum jam tot mendacia vita:
Ne toties pecces, en semel, oro, nega.

IN NIMIVM CORPORA CVRANTES, NON ingenium.

Non mirum multi, sua quod modo corpora curent:
Corpora sunt illis, est nihil ingenij. Epigr. 26

MVTVÆ NEGLIGENTIÆ EXPLICATIO.

Ægrotus quereris, nunquam quod sis mihi visus,
Nomine nec Diui, sit tibi missa salus.
At mihi nomen vt est, sum morbo aliquando petitus; Epigr. 27
Sed memini, nunquam te meminisse mei.

IN ALIQVEM, QVI INIVSTA GARRVLITATE sua ansam præbuerat damnandi operis.

Vix scribo, atque times, possunt quæ scripta manere,
Quid facies igitur, si semel illa patent? Epigr. 28
Quomodo sed dicam securus viuere posses?
Aut nunquam scribens, aut minus ipse loquens.

*** *** ***

AD ELOYSAM, CVIVS IN ABELARDVM *inauditus amor.*

Epigr. 29
Cur mihi concessum non est tua sæcla videre,
Vt, si me nosses, vreret vnus amor?
Vt, si te nossem, ignis nos consumeret vnus,
Cur, precor, haud fueris tempore nata meo?

AD EANDEM DE ABELARDO NON SATIS *redamanti.*

Epigr. 30
Dignus Abelardus fuerat constanter amari,
Ingenio similis si foret eius amor.
Respectu vario fuerit sic dignus vterque,
Non studio simili, tu magis, ille minus.

AD FVLBERTVM DE ABELARDO, SVB ARBORIS *nomine.*

Epigr. 31
Dic mihi crudelis, dic, quid peccauerat in te
A radice arbos vellere, quam placuit?
Haud dubie poteras nunquam producere fructus,
Et similis cuperes esset vt illa tibi.

IN EJVSDEM, ERGA ABELARDVM *sæuitiam.*

Epigr. 32
Dic, rogo, crudelis, cur tu crudelior omni,
Sic insane duos sic simul ipse necas?
Vnius est ictus, duo cerno at vulnera tandem:
Quàm mors, vita nocens, sæuior vsque fuit.

IN FVLBERTVM DE ABELARDO FATORVM *vtriusque comparatio.*

Epigr. 33
Casus Abelardi lachrimatur vt omnibus vnà,
Sic, Fulberte, tuum quilibet horret opus.
Læseris hunc viuum, sed nunc post fata quiescit:
Actis nuncque tuis irrequietus agis.

IN THRASONEM QVEMDAM, QVI SE NON *indigere libris, eosque scribere posse, gloriabatur.*

Epigr. 34
Abstinet à libris, nec, dicit vt, indiget illis,
Se ditemque opibus sat putat esse suis.

Esse loco, sed opum, si cuique amentia possit;
Non, vt quisque videt, ditior vllus erit.

IN ALIQVEM FACILE CONCEDENTEM, *nunquam largientem.*

Multoties petij, quæ non, concessa, dedisti:
Dicere namque dabo, non dare credo, putes. Epigr.
At semel, atque iterum, tantum concedere verbis, 35
Est re multoties, crede, negare mihi.

IN EVNDEM E PROVINCIA ORIVNDVM, *cuius Populares avari.*

Sæpius est dictum, volui sed credere nunquam, Epigr.
Magnificos animos esse aliquando tibi. 36
Patria sed dubium tantum mihi fecit origo,
Postea fecerunt multa pericla fidem.

FACIES SÆPE PRÆCORDIA PRODIT.

Cur, age, facta negas? nil, crede, silentia prosunt: Epigr.
Culpæ mens etenim conscia pressa gemit. 37
Ardua res semper crimen non prodere fronte,
Et facies retegit, quæ labra sæpe tegunt.

EX VOLVNTATE, NON EX EVENTV, *æstimanda amicitia.*

Pendito tu nunquam bona, quæ tibi fecit amicus: Epigr.
Quæ præstare velit, tu modo pende, rogo. 38
Lædat vt, vt satis est, solum re lædere velle,
Vt bene sic mereat, sit voluisse satis.

AD ALIQVEM, CVI NOX PROPTER *tenebras horrida videbatur.*

Sunt nocti tenebræ, verum lux alma diei; Epigr.
Attamen horrida nox ne videatur eis. 39
In picturà etenim, obseruas vt lumine, & vmbra,
Efficta eximiè quæque tabella nitet.

IN IGNARVM DOCTOS SPERNENTEM.

Non miror spernas, quæ non cognoscere possis, Epigr.
Ignoti non est vlla cupido etenim. 40

At

At non cognoſcens, ſi tu ſic ſpreueris vlla,
Non erit ignoti, ſed tua culpa modo.

IN JVVENEM NOBILEM SINE RECTORE, nec Conſule agentem.

Epigr. 41 Tempore, quæ nequeas, ipſa tu mente parabis:
Si quis te m oneat, frænaque laxa premet.
At ſi nec timeas, nec ſit qui conſulat vllus,
Tempore, mente ſimul, non medicandus eris.

NIL ADVERSVS HONOREM SIBI DEBITVM quis patrare debet.

Epigr. 42 Injuſtum facias nil, quodve repugnat honori,
Quo tu dignus eris, ſi tibi vis ſit honor.
Si tu namque tuis noxis te læſeris ipſe,
Poſteà te fugiat lædere nemo ſuis.

IN PHYLLIDEM BENEFICIORVM IMMEMOREM.

Epigr. 43 Viribus ecce meis dilexi Phyllida totis,
Quantum ſane vllam nullus amauit amans.
Non ego queſtus ero, me quod non diligat illa;
Ægre ſed tulerim, grata quod eſſe negat.

QVALES SINT MAGNATVM FAMVLI, cum vitia eorum ſilent.

Epigr. 44 Nil referat quis ſit, quamuis & ſeruiat ille:
Si male quid facias, & tacet, vſque probat.
Præque metu laudans, ſit tanquam ſervus habendus;
Qui probet, vt placeat, proditor hic tibi ſit.

IN ALIQVEM CONDITIONE SVA abſentem.

Epigr. 45 Tolle, precor, veſtes, vitam ſanctamque relinque;
Aut mutato modos, quos male ſanus habes.
Si priuate ageres, ſolùm te lædere poſſes,
Quod peccas, alijs altera damna feret.

SVI LAVDATIO CORAM ADVERSARIO SPERNENTE.

Epigr. 46 Vis non me laudem, ſed me laudare recuſans:
Si mala non loqueris, tu bona, Celſe, taces.

Sic

Sic laudans, non laudo me, sed damna refutans,
Viribus obsto tuis, vimque repello modo.

IN LESBIAM AVARAM.

Parcus ego vt sim, contendit dum Lesbia mecum, Epigr.
Frustra contendo, largior vt sit ea. 47
Parca minus fuerit, nunquam vel ditior illa:
Pauperior nequeam, parcior esse quoque.

IN ALIQVEM PRÆ FATVITATE *improbè agentem.*

Quod facias, faceret si aliquando quilibet alter, Epigr.
Horror vt inde alijs, horror & inde mihi. 48
Mentis at experti datur, vt non noscere culpam;
Non damno, miseret me modo namque tui.

VT MORBVS, FACILE VITIVM CONtrahitur, *difficile virtus, & salus.*

Non melior Balbus tecum factus fuit, Aule, Epigr.
At cito cum Balbo factus es, Aule, malus. 49
Sit mirum nulli vobis, quod contigit istud,
Vt morbus vitium, non ita grata salus.

EPIGRAMMA JOCOSVM IN MARITVM *post nuptias minus vrbanum.*

Milo, quidem cœlebs me jucundo ore colebas, Epigr.
Ecce maritus vt es, comis es ecce minus. 50
Sponsus eris si bis, nostri tunc mentio nulla;
Accidat hoc tibi ne, sponsa perennis eat.

IN DEBITOREM MENDACEM.

Colloquij nobis occasio si sit habendi, Epigr.
Debita vis, vt ais, solvere quæque mihi. 51
Multoties nobis habitum est mite, atque benignum
Colloquium, & nobis tempora plura dabunt.
Vis referam, nobis sit quæ spes inde futura,
Tempora quæ dederint, tu modo, credo, dabis.

EPIGRAMMA ALLEGORICVM IN NOBILEM auarum, paucisque ideo sumptibus discentem.

Epigr. 52 Pabula læta quidem cum sint jucundaque nobis,
Immemor ecce boni, cur mala, quæso, petis?
Nobilis est stomachus, tibi mens & conscia recti,
Dixero, si quid sit, parcito, parcus eris.

NON NVMERVS, SED QVANTITAS NOCET.

Epigr. 53 Quid referat, quæso, potus quod pocula sumam,
India quem dederit, nunc duo, nuncve tria?
Non damnum numerus præstat, sed quanta fuere:
Nil igitur referat sint tria, parua modo.

SE VBIQVE LITTERIS OPERAM DARE innuit.

Epigr. 54 Vt mos est, labuntur non mihi tempora frustra;
Otia namque alijs, sunt mihi sæpe labor.
Sic sæpe expectans, specto, haud sed inania lustro;
Vtile sic abeat tempus vbique mihi.

IN CELSVM TANTVM LEGENTEM, NON carmina aliena audire gaudentem.

Epigr. 55 Atque domi, atque foras recitas mihi carmina vbique;
At mea non rogitas num recitare velim.
Quam bene, Celse, legas, longo jam tempore noui;
Numque audire scias, jam quoque scire volo.

AD AMICVM ROGANTEM, QVID POST obitum prodesset Authori adeò litteris incumbere.

Epigr. 56 Cur mihi nulla quies, cur perpetuòque laborem,
Post obitumque, rogas, quid mihi fama dabit?
Vita breuis quid dat, nullumque relinquere nomen?
Non mors, crede mihi, viuere quæ dat, erit.

PARVM PRODEST INFELICIBVS DOCTRINA.

Epigr. 57 Magna nihil multis non sæpe scientia prodest,
Profuit & multis noscere pauca modo.
Vnde rogas forsan veniant discrimina tanta?
Qui felicior est, doctior ille fuit.

CVR IN PROCERIBVS CVNCTA LAVDANTVR.

Cur Procerum celebrant, inquis, vel crimina ſæpè, Epigr.
Pauperis & virtus cur taceatur? ais. 58
Non dat in hos ſtudium, hoc non dat mens conſcia recti:
Dat timor vſque mali, & commoditatis amor.

RIDICVLVM PRORSVS, QVOD MAGNATES *hodie virtutem, doctrinamque ſpernant, quibus ad tantum faſtigium Progenitores evecti.*

Olim doctrina, aut virtute parare Parentes Epigr.
Magnatum decus id, ſanguinis vnde nitor. 59
Si tanti faciant hos perveniſſe ad honores,
Magni, quæſo, gradus num faciendus ad hos?
Et tanti faciant tantos ſi attingere fines,
Ridiculum fuerit ſpernere nonne vias?

EPIGRAMMA SATYRICVM IN BALBVM *imprudentem, & proditorem.*

A quadam vidua Balbus ſortitus amari, Epigr.
Valde lætus erat ſorte beatus amans. 60
Nomina ſed tacuit prudens, vt poſſet haberi,
Nomine ſed tacito, gaudia magna minus.
Quid faciat tandem vt prodat, ſed nomine tecto,
Haud dicens retegit, nota ſit vnde ſatis.
Eſt deceptus amans noſter ſic artibus iſtis,
Quoque modo retegat, prodere viſus erit.

ALIVD SATYRICVM IN ORATOREM, *qui centum annis opus eſſe aiebat, ad fulmen condendum.*

Vnde, precor, noſti centum annis fulmina condi? Epigr.
Quis liber edocuit, quiſve Magiſter? age. 61
Eſto ſed in ſcriptis jam talia legeris ante,
Nuper & edoceat, Doctor & eſto nouus.
Dixeris at fulmen, quid fit tot, quæſo, per annos?
Dicito fulmen vbi conditur interea?

*** *** ***

AD VETVLVM IN TABVLA PICTVM,
Orbem conspicillis tubulatis lustrantem, cum subscriptione infrascripta.

Epigr. 62

Indutus palla Vetulus dum spectat in altum,
 Cristallo, & nitido, visitur Orbis ei.
Sedulius spectans tunc quæque tabella ferebat,
 Sub pedibus video talia scripta modo:
Vidi, Pervidi, & Risi. An rogito inde cachinnus?
 Quæ ridenda putas, illachrimanda puto.
Crede mihi risus nostris non conuenit annis,
 Quæ juvenis risi, nunc ego ploro senex.

ALIVD EJVSDEM ARGVMENTI,
sed contrarij sensus.

Epigr. 63

Cristallis lustrans Vetulus dum cernitur Orbem,
 Hoc subscripta lego talia verba modo.
Vidi, Peruidi, & Risi. Quid? Tempora, dixi,
 Si foret ecce tibi nostra videre datum.
Non tantum possis hos ingeminare cachinnos,
 Sed nec præ risu fundere verba queas.

IN HOMINEM PRÆ MOLLITIE PROPE INVTILEM.

Epigr. 64

Difficilè quivis bene te dignoscere possit,
 Fœmina namque viro, nec viri es ipsemet huic.
At neuter cum sis aliquid tamen esse videris,
 Nescio sed quid sis, nec puto plura scias.

QVO INTER SE DIFFERANT ÆSTAS,
& hyems, & cur hæc alteri sit præponenda.

Epigr. 65

Innumeris fateor rebus nos allicit æstas,
 Queis, patet vt cunctis, frigus vbique caret.
Innumeris pariter rebus nos afficit illa,
 Queis hyemis gelidæ tempora nostra vacant.
Si bene flos oleat cimex tum fœteat vsque,
 Quo grauius nihil est, putidiusque nihil.
Tempore brumali vt sunt grata silentia noctis,
 Æstiuæ strepitus quis tolerare valet?
Nil æstum minuit, frigus sed tollitur igne,
 Si bene cantat auis, stridula musca nocet.

Addi-

Addito præcipites nimbos, sæuasque procellas, *Epigr.*
Addito, quod grauius, fulgura, fulminaque. *57*
Sic diuisa precor, contingant tempora nobis,
Algida quæque mihi, torrida quæque tibi.

PHILLIDIS AMORI NON CREDIT.

Vror dum friges, ægroto, cura salutis *Epigr.*
Nulla tibi nostræ est, diligis vsque tamen. *58*
Quod suades mirum haud, possim quod credere mirum;
Haud procul est odium, Phillis, amore tuo.

IN HOMINEM MOLLEM, ET DELICATVLVM.

Pulcher es, & pulcher cupias tu cuique videri, *Epigr.*
Mollior esseque vix fœmina nulla potest. *59*
Et pretiosa placet vestis, suffitus odorum,
Ducito fila colo, Sardanapalus eris.

IN ALIQVEM PESSIMÆ FIDEI DEBITOREM.

Debita, quæ petij, promisistique daturum, *Epigr.*
Solvere non properans, jam quasi voce negas. *60*
Amplius haud repetam, scripsi, promissaque præsto,
Argenti tibi plus, plus mihi honoris erit.

IN FALSVM, ET INCONSTANTEM AMICVM.

Plura tibi cum sint, queis tu spectabilis esses, *Epigr.*
Et tibi cum fama concilietur amor. *61*
Cur odere omnes, non te cur æstimat vllus?
Mobilis est animus, Græca fidesque tibi.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Hæc non causa fuit morbi, quæ creditur, Alne, *Epigr.*
Nostri, nec norunt prodeat vnde malum. *62*
Non mirum frustra, si tot medicamina tentant:
Hæc medicet Dominus, quæ Deus ipse facit.

FERE OMNES ANIMI DOTES SE AMORI debere fatetur.

Non tua me pudeat, quod sim vexilla sequutus, *Epigr.*
Nulla mihi sine te nomina namque forent. *63*
Et tibi quæque scio, fateor debere, Cupido,
Tu stimulus Princeps, tuque Magister Amor.

Et tua cuique sciat rectè dignoscere tela,
Vtile non modicum, paruaque damna feras.

IN STVPIDVM, GRAVEMQVE CHIRVRGVM.

Epigr. 72 Non operam cupias linguæ nauare Latinæ,
Mens non optatis cernitur apta tuis.
Si mentemque manus referat, ne vulnera cures:
Quid facies igitur? Si modo quæris, ara.

AD PHILIDEM, EPIGRAMMA JOCOSVM.

Epigr. 73 Non me, Philis, amas, Cantori cum cupis esse
Me similem, neque vis pendere damna boni.
Ast ais, ille tenet, nobis quæ plurima desunt,
Quam paret, at multo perdidit ille magis.

AD STELLAM, CVI AVTHORIS FAMA *Displicebat, nihili tamen constabat.*

Epigr. 74 Cur mea fama nocet, cur hanc subvertere tentas?
Cum curanda foret viribus illa tuis.
Dic mihi, quid posim ex te jam promittere tandem,
Si tibi nil constat, nec placet illa tamen?

CORRECTIO SENSVS SVPERIORIS *Epigrammatis.*

Epigr. 75 Otia, Stella, velim quod des, non otia quæro:
Otia quamque tua, est gratior ipse labor.
Sed foret vna velim tantum mihi cura laboris;
Otia grata dares, sed dare, Stella, negas.

IN FATVVM SVI AMANTEM, QVI ADEO *ad ignem distrahebatur, vt se vri non sentiret, ad quosdam amicos.*

Epigr. 76 Dicitur ipse sui Narcissus amore perîsse,
Spectat vt effigiem, quam referebat aqua.
Falsam dumque sui, vanamque amplectitur vmbram;
Morte perit vera, gaudia falsa petens.
Non in aquis, vester pereat Narcissus in igne,
Quem calor haud moneat, nec dolor ipse mouet.

NON PERPETVO SVNT LAVDES REIJCIENDÆ
Censeri cupias, si cuiuis esse modestus, Epigr.
Interdum sit laus accipienda tibi.
Respuit haud semper, quiuis non gaudeat illis, 77
Perpetuò renuit, qui cupit ille magis.

MALA EXCVSATIO PEJOR EST CVLPA.
Noscitur haud nulli, quem tu commiseris error, Epigr.
Quem facili poteras tu reparare via.
At causas nectens, pondus sic auxeris illi, 78
Vt sit prægrandis, qui modo parvus erat.

AD NOBILEM VIRVM, IN TARDVM ejus Discipulum.
Vnà doctrinam, linguamque docebis alumnum, Epigr.
Te visurus adit, qui, puto, quaque die. 79
Sed referat grates quas? præmia quæque laboris?
Non gratis doceat, te docet ille pati.

AD STELLAM, A QVA AVTHOR, VT NIMIS operam litteris nauans, incusabatur.
Non somno indulgens, incedens quodque laborem, Epigr.
Damnas, quod cupias sit mihi grata quies. 80
Quomodo sed tulerim incassum mihi tempus abire?
Quod facis, vt faciam, te rogo, Stella, doce.

AD POLLAM, DE INÆQVALITATE AMORIS.
Dissimiles quærunt juncti cur sitis amore, Epigr.
Exiguique adeo tu juga, Polla, feras.
Cœcus amor faciat quæso quid lumine ductus? 81
Ni foret hocce modo, non amor ille foret.

IN GALLVM DETRECTANTEM.
Quod de te credo, soliti sunt credere cuncti: Epigr.
Quod de me credis, tu nisi, nemo putat.
Num tua, num Populi, fuerit vox, Galle, sequenda? 82
Desipio. Sapis an? Dic vtri habenda fides?

*** *** ***

IN DOMVM CVIVSDAM AMICI; & Discipuli.

Epigr. 83
Continet ista domus tua, quod non continet Orbis:
Frigida regnat ibi, Torrida Zona quoque.
Ignis at auxilio vincuntur frigora nullo,
At quoque nescit in hac æstus habere modum.

DE MVSCA IN NASO CVJVSDAM SEDENTE.

Epigr. 84
In naso nuper cujusdam musca sedebat,
Et quasi punxisset, fixa manebat ibi.
Longius at solito, dixi, cum pertulit ille,
Vel nimis es patiens, vel nimis ista sapit.

ARGVMENTVM EX DECIMA EPISTOLARVM Aristanaeti Græcarum depromptum.

Epigr. 85
Eximiam pinxit Pictor, formamque venustam,
Illicò, & effictæ captus amore fuit.
Tristis amans! Manibus se ipsum, qui lædere possit,
Vulneribusque suis, qui medicare nequit.

AD LESBIAM AVARAM.

Epigr. 86
Jurgia sæpe mouet mihi, quod nimis ipse laborem;
Lesbia, sæpe queror, quod sit avara nimis.
Otier illa cupit: grates, quod consulat vsque;
Maiores agerem, si quoque posse daret.

SATIS EST CVIQVE NOBILI, QVOD FALLI nesciat.

Epigr. 87.
Hic vni tibi fit tanti, qui callidus ille
Noscitur vt cunctis, spernitur hacce via:
Nobilis expediat nullus, quod fallere noscat;
Expedit at falli nesciat ille modo.

IN QVEMDAM NOBILEM AVARITIÆ causa à male docente pejus discentem.

Epigr. 88
Quas nectas, causis auges dum pondera culpæ,
Ridiculus magis es, stultior atque simul.
Gallica verba quidem facies, vt nemo negabit;
At ne, quæso, putes Gallica cuncta fore.

Ver-

Verba sed esto forent, vel Gallica quæque loquaris,
Nil rogito intererit, num bona; numve mala?
Sed bona sint tandem quævis tu fuderis ore,
An bonus, anve malus, nexus an aptus erit?

IN MAGNATEM AVARVM.

Divitiæ tibi sunt, præclaraque stirpis origo, *Epigr. 89*
Est docile ingenium, dotibus atque micans:
At cur non placeas, cum posint ista placere?
Nullus eis placeat, ni generosus erit.

AD STELLAM.

Quid faciam quæris, de me quid sitque futurum; *Epigr. 90*
Si mihi deficiat vita, vel alma salus.
Inde tibi cura est, mihi, Stella, pericula ne sint;
Te rogo ne rogites, prouideasque velim.

AD EANDEM.


De me plura rogas, & plura encomia jactas; *Epigr. 91*
Res tibi curæ sunt, est tibi cara salus.
At nescis sermo quis sit vulgaris apud nos,
Non amor ex verbis, noscitur ex operis.

IN ÆSTATEM.

Æstatem laudet, noceant cui frigora tantum; *Epigr. 92*
Quemque juvat pulex, cui quoque musca placet.
Fœtida cui cimex horrorem non creat vllum,
In somnis noctem, quive quietus agit.
Æstas adsit, eis placeant queis talia cuncta;
Displicet at fœtor, nec vigilare juvat.

AD NOBILEM AMICVM, IN DISCIPVLVM maturè venientem, tardè abeuntem.

Tardus Alumnus te invisit, qua debeat hora, *Epigr. 93*
Et doctus monitis, sedulus vsque venit.
Dic horam pariter, qua vis discedat vt ille:
Id nisi tu facias, hæserit ille domi.

IN TARDITATEM EJVSDEM DISCIPVLI.

Epigr. 94
Quæ data planta tibi noua, tumque tenerrima cum sit,
Indigeat multo tempore, crescat vti.
Si palmam referat, centum ni vixeris annos,
Non poteris fructus mandere, quos det ea.

IN NOBILEM QVEMDAM ADOLESCENTEM, *qui ex lachrimis pueruli, quem cædebat, voluptatem capiebat.*

Epigr. 95
Sub specie ludi, ludentem lædere lætus,
Ex pueri lachrimis gaudia magna capis.
Pergito, belle puer, poteris superare Neronem:
Namque tuæ ætatis non ita sævus erat.

FOEMINÆ VVLGO NIMIS AMANTEM *oderunt.*

Epigr. 96
Gratus amantis amor, mulier si sciret amare,
Inscia sed medij, nescit habere modum.
Præmia sic odij, nec amoris, justa rependens,
Non vt amatur amans, odit amata nimis.

NON DAMNANDA FOEMINA, NI RESPONDEAT *amori.*

Epigr. 97
Plangat amans nullus, moueat ni pectus amatæ,
Aut illi parcens, planxerit ille modo.
Cordibus in cunctis etenim est pietatis ad instar,
Hic venit ex anima, cœlitus ista venit.

AD STELLAM.

Epigr. 98
Jurgia quando moues, teneam vix, Stella, querelas:
Altera cura subit, blandula faris vbi.
Sic ego tristis ago, bene agas tu, vel male mecum:
Lædis vbi, grauis es, blandula, grata nimis.

IN ALIQVEM PERPETVO SPVENTEM, *naresque emungentem.*

Epigr. 99
Quid facias, rogitant, cum te contingit adire:
Te quoties video, nil, nisi fallor, agis.
Strictius vtque rogant, facias quæcumque referre:
Emungis nares, oreque sputa jacis.

NOBILIS CVJVSDAM PVERI CELEBRANDA OPINIO.


Sat mihi dicebat nuper, si sciret amari, Epigr.
Nobilis, vt redamet, quilibet esset amans. 100
Quæ sit jaspideo lapide ære & opinio sculpta,
Tempore digna quidem, quò fere nulla fides.

AD MAGNANIMVM PRINCIPEM PHILIPPVM à Francia Potentissimum Hispaniarum Regem.

Coniugij fructus teneros, primos & amores Epigr.
Belligero Marti sacrificare paras. 101
Sic juvenisque senes doceas contemnere vitam?
Sic juvenesque doces spernere delicias?
Sic domitorque tui tibi, Rex, promittito palmam:
Hostes namque tuos viceris ipse modo.

AD CELSISSIMAM PRINCIPEM MARIAM Ludouicam Gabrielam à Sabaudia Augustissimam Hispaniarum Reginam, quæ non acceptis pretiosis gemmis ab nobili Matrona oblatis, illi alteras pretiosissimas dono dedit.

Oblatas fugiens gemmas, offerre videris: Epigr.
Dantis enim renuens munera, munus obit. 102
At danti cum das pretiosas, munera, gemmas,
Non, Regina, semel, bis dare, terque fuit.



LIBER SEXTVS.

DE LIBRIS NON SIMVL COLLECTIS, SED PASSIM Sparsis.

Tu nunquam videas collecta cadavera nostra, Epigr.
Ædibus at nostris, sparsa videbis ea. 1
Sic oculis lustro, sic his præstamus honores:
Sic sepelire placet, menteque humare juvat.

EPIGRAMMA JOCOSVM IN MARITVM
Vxorem deformem depereuntem.

Epigr. 2. Deformis coniux, felix sed amore maritus,
Cui deformis vt est, sic placet illa tamen.
Cum nulli placeat, poterit securus amare;
Res aliter forsan, si speciosa foret.

AD NOBILEM AMICVM, IN DISCIPVLVM.

Epigr. 3 Rides, vere an, sic rogitat, qui discit alumnus?
Qui tibi fructus, ait, quid precor inde mihi?
Desinat hicce loqui, quæso, nec discere pergat;
Talia namque rogans, præstat vt ille rudat.

AD EVNDEM, VT OPERAM LINGVÆ GALLICÆ
navare velit.

Epigr. 4 Quam bene tu doceas, jam scimus, docte Vir, omnes;
Quàm bene tu discas, scire duo cupimus.
Quod tibi tu renuas, posſis ne negare duobus?
Hoc abs te cupio, frater & hocce petit.

IN ANCILLAM VALDE INERTEM.

Epigr. 5. Laudibus ecce tibi celebratur nostra ministra,
Quod perpes sit ei, scilicèt, alma quies.
Hæc foret, at nollem tanta dotata quiete,
Nam facit illa nihil, sæpè quieta nimis.

AD DORIDEM, HERAM ADMODVM MOROSAM.

Epigr. 6 Cur, age, dic, quereris, Doris, jam tempore longo,
Quod servire velit nulla ministra tibi?
Nosce tuos mores, cunctis sis quamque molesta,
Atque tuo renuas subdere colla jugo.

EPIGRAMMA DIALOGISTICVM INTER MARITVM
& Viduum, cujus duplex est sensus.

Epigr. 7. *Marit.* Vnde vigor, facies, mihi dicito, tamque serena?
Vid. En Viduus vixi. *Mar.* Vera ne quæso refers?
Vid. Ni quæras aliud, juro me vera referre:
Sic Viduus vixi, crede, Maritus vt es.

IN

IN AVARVM, MACILENTVMQVE HOSPITIO invitantem.

Et male tu prandes, cœnas sed pejus & ipse, Epigr. 8
Portanturque foris fercula sæpè tamen.
Quid, si deficiant, faciat convictor inanis?
Vel si te comedat, non satiatus erit.

IN ALIQVEM MALE SE PVRGANTEM.

Quam dederis nobis, est excusatio capta; Epigr. 9
Sed quæ pro nihilo debeat illa capi.
Ast accepta mihi sit cur si dixeris illa,
Ne prima pejor forte secunda foret.

CONSILIVM, ET REMEDIVM ADVERSVS detractionem.

Detractant, quereris, male sic tibi consulis ipse, Epigr. 10
Atque tuo questu vulnera dira facis.
Tu nihili facias, dicta & quæcumque repelles,
Namque dolore tuo perficis ipse probra.

IN ALIQVEM VALDE SVDANTEM.


Vt multum sudas, posſis sudore perire,
Naufragus vt non sis, sic, tibi quæso, caue. Epigr. 11
Aut ita ni pereas, debes aliunde cauere,
Ne tua, fusa in aquis, machina tota ruat.

BREVIS SPES ALIT, LONGA NECAT.

Esca quidem menti spes est gratissima nostræ,
Tempore dumque brevi perficiatur ea. Epigr. 12
Hæserit at multum, atque diu si manserit illa,
Quæ nutrire solet spes, quoque sæpe necat.

POSTERITAS AMANDA.

Viuere qui cupiat nunquam post funera posse, Epigr. 13
Non hominis titulo dignus habendus erit.
Viuit & vt brutum, præsens dum spectat inane,
Quem nunquam moueat posteritatis amor.

RENVENDVM EST, QVOD GRATE NON DATVR.

Epigr. 14
Obtuleras, ſemel & miſi ad te pauca petitum:
Qualia ſed dederis, non meminiſſe velim.
Ni bona ſponte dabis, bona ni dederiſque petita,
Nec dato ſponte nihil, tuque petita nega.

IN PARCVM ALIQVEM AD COENAM vocantem.

Epigr. 15
Itur an ad cœnam, quæſo, ad te nulla comeſtum?
Vtque famem tolerent, menſa parata nitet?
Tolle precor lances, vacuos & tolle catinos:
Nam ſatis vna dapum plena paropſis erit.

MAXIMVM FERE VITÆ MIRACVLVM.

Epigr. 16
Vix datur in vita portentum cernere majus,
Quam quod non ſemper diſcutiatur ea.
Perpendatur enim, ſi cuique miſerrima quam ſit,
Viuere quique ſuo præferat ipſe mori.

Epigr. 17
IN RVDISSIMVM ALIQVEM DISCIPVLVM.

Tertius eſt credo tibi lectus, amice, libellus,
Cujus præceptis erudiendus eras.
At nihil intererit, multos ſi evolvere tentes,
Hoſque manu capias, ni quoque mente capis.

ABSTINENDVM A VERBIS JOCOSIS.

Epigr. 18
Hi ludant verbis, tantum qui ludere norunt,
Immodico luſu rixa movetur enim.
Lædere quin poſsis, poteris ni ludere forſan:
Linquito crede jocos, ſeria ſemper age.

AD DORIDEM, IN FILIVM MALE EDVCATVM.

Epigr. 19
Culturam pueri cum tu neglexeris vſque,
Quos fructus cupias arbor adulta ferat?
Sicque dolendi dat cauſas, nullaſque querendi,
Non ſua culpa etenim, ſed tua, Doris, erit.

*** *** ***

AD PERENNEM FELICITATEM NOVA desideria conferunt.

Quid faciant homines votis, ni vota supersint:
Exagitantur queis alliciuntur vti?
Soliciti, in voti pœnis est grata voluptas, Epigr. 20
Deliciumque novum, quæque cupido noua.

MORTEM AVARITIÆ ANTEPONIT.

Magnifici plures fuerint primis sed in annis,
Queis labentibus his cœca cupido fuit. Epigr. 21
Tempore si multo fuerim faciendus auarus,
Detur obire prius, viuere nolo senex.

IN RIDICVLVM NARRATOREM.

Ridiculum mihi quis dixit se velle referre,
Credita resque mihi est, notus vt ille fuit. Epigr. 22
Ridicula ast illi narrari vt fabula cœpit,
Re ridendus erat, sed referendo magis.

NON SATIS BENE CARMINA CONDERE.

Carmina non equidem satis est bene condere cuique,
Nam male lecta ruunt condita sæpe bene. Epigr. 23
Sæpè ruunt pariter, male si transcripta fuere:
Sint bene scripta igitur, sint bene lecta quoque.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Perpetuos tellus cuiuis laudanda per annos,
Detur vbi vitio Patria cuique sua! Epigr. 24
Aduena frustra & vbi meritis curarit honores,
Est vbi scire nihil prosperitatis iter.

IN ALIQVEM MALE PROMISSA SERVANTEM.

Si bene factutum cuiuis promiseris vnquam,
Spes concepta cadit, fallere doctus vt es.
Si male facturum te promittas aliquando, Epigr. 25
Ne stes promissis, sic ruit vsque timor.

IN FOEDISSIMAM CONIVGEM.

Quæ petij facito, nullus vel crede, marite: Epigr. 26
Amplexus dabitur, concubitusve tibi.

Præstitit ille citò daretur fœdissima coniux:
Nil ego præstiterim, det quid vt illa mihi.

IN ALIQVEM CVM OMNIBVS DISSENTIENTEM.

Epigr. 27 Dissentis semper, tibi nec cum convenit vllo;
Sed tua semper aves, prima vt opinio sit.
Discordes animos quiuis sic gaudet habere:
Num meritò dubitem, constet an ipse sibi.

IN ALIQVEM, QVI LEVIS JACTVRÆ DOLORE *pressus obijt.*

Epigr. 28 Fractæ sunt vt opes casu, tum decidit Hæmus,
Quamvis ad victum plus satis esset ei.
Et licet ad luxum pariter non pauca manerent,
Præ luctu sæuo, præque dolore obijt.
Ride, nec lachrimas vllas hîc funde, viator:
Namque sibi durus non miserandus erit.

IN ALIQVEM SVI ERGO CARMINA AVTHORIS *laudantem.*

Epigr. 29 Enixè laudas semper quæ carmina condo,
Quod bene scripta vigent, quod sit acumen in his,
Propter me tantum non hæc tu laudibus effers:
Illa sed vt modo te noscere quisque sciat.

IN POLLIONEM PERCONTANTEM, NVM *istud, aut illud vellet Author.*

Epigr. 30 Istud an, aut illud cupiam cum, Pollio, quæris,
Optatum taceo præque pudore modo.
Quærentem meritò credam nam te dare nolle:
Quæque repente dabis, te dare velle putem.

IN ALIQVEM AD INFELICIA TEMPORA CRIMINIS *pœnam referentem.*

Epigr. 31 Temporibus tribuas tua ne infortunia quæso:
Proxima namque tibi est causaque vera magis.
Criminis admissi, horrendæ culpæque memento,
Ad pœnasque tuas hæc erit ipsa nimis.

*** *** ***

IN ALIQVEM MVLTIS IDEM PROMITTENTEM, *nulli dantem.*

Munere tu plures, soloque ligaveris vno: Epigr.
Das etenim retinens, nomine dasque tenus. 32.
Nomine non multis des, re da sed semel vni:
Si dabis hocce modò, munificus sat eris.

VITA VOLVPTATIBVS OMNIGENIS ORBA, *Mors est.*

Quæ maneat tantum, si sit cupienda voluptas, Epigr.
Dicito num fuerit talis in Orbe prius? 33.
At sine delicijs vitæ si cursus agatur,
Dicetur proprio nomine vita mori.

FELICIORIS OBITVS CAVSA, VBI ADVENTARIT, *lætatur, quod falsè mortis alicujus rumor, disseminatus sit.* Epigr.

Non vt credideram, prius haut vt fama volarat, 34.
Ille senex obijt scribere doctus homo.
Lætus ego, vitæ quod pars, quæ manserit illi,
Ad mortem possit sanctior esse gradus.

IN ATHIM NOBILEM, ET DOCTVM, AIVNT, *sed malè nomina solventem, ad Musam.*

Dic cur, Musa, taces, jam cum tot fundere verba Epigr.
Innumeri statuant, queis celebretur Athis? 35.
Jam teneo, atque tibi laudari nobilis vllus,
Aut doctus nequeat, sit probus ille nisi.

IN EVNDEM, AD EANDEM.

Das nec Athi laudes, nec das quæ encomia quæro; Epigr.
Nec queror, & meritò, Musa, petita negas. 36.
Si taceas, sat erit, si abs te convitia poscam;
Sed si forte petam, tumque petita, nega.

INTER HOMINES, QVIS MAGIS, *quis minus reus.*

Nullis est dubium, sine crimine viuere nullum, Epigr.
Sic patet vt cunctis, est reus omnis homo. 37.

At reus ille minus quis? qui magis esse putarit,
Quis reus ille magis? qui minus esse putat.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Epigr. 38
Quid, si, quæso, tuas videat, qui struxerit ædes,
Dicat, vbi sordent, quæ viguere prius?
Rideo quæ lachrimet, si forte reuiscrit ille,
Es lætus peream, quod cadat ille dolens.

IN INGRATE, INDIGNEQVE LVDENTEM, *interque ludendum vociferantem.*

Epigr. 39
Ludis vt indignè, ludentem cernere nolim:
Hoc, quod vis spatium, præstat vbique mihi.
Displicet vt tua vox, pariter te audire recusem:
Hoc fieri nequeat, ni priùs hinc abeam.

DIFFERENTIA SENTENTIARVM IN QVOLIBET *major, quàm vultuum inter omnes.*

Epigr. 40
Cuilibet est mirum, à vultu quod differat alter:
Nec duo sint similes inter & innumeros.
Mira magis res est, quod vir tam discrepet à se,
Quaque die toties nolit vt, hocque velit.

PARCVS, VEL PAVCA CVM DAT, EST *Prodigus.*

Epigr. 41
Non satis expendens, haud laudas, quæ dat avarus,
Prodigus at quæ dat, munera sola placent
Immeritò; namque est parcus sic prodigus alter,
Et modicum tribuens, præterit ille modum.

IN ALIQVEM NOBILEM, NIMIS TITVLIS *honorificis inhiantem.*

Epigr. 42
Cum tibi sint vlli nondum Magnatis honores,
Magnatum titulo vis habeatur honor.
Ne queritor renuant, quæ non sunt debita jure,
Dignior, haud cupiens, tu videaris eis.



IN

IN DVOS FALLACES; QVORVM ALTER, *alterum fallere cupiens, ab eo deceptus est.*

Fallere cum cuperes Aldum, & deceptus es Aldo, Epigr.
Te meritò luges arte perire tua. 43.
Fallacem minus at victum te haud quæso doleto,
Hunc modo felicem crede fuisse magis.

IN FALSVM AMICVM, NIL LARGIENTEM, *& se tamen amare profitentem.*

Si tibi crediderim, semper me diligis vt te, Epigr.
Verbis opto tuis, vt faciasque fidem. 44.
Abs te pauca ideò peto, te precibusque lacesso:
Das mihi nil, fallis, vel tibi, cuncta negas.

IN CODRVM INTER LOQVENDVM MANV *propulsantem.*

Vt mihi Codrus ait, quædam se velle referre, Epigr.
Quæ memoranda forent, signat & ille manu. 45.
Felix, verba quidem breuitèr, quod fecerit ille,
Conterat ille etenim, si mihi plura refert.

IN ALIQVEM PLVRIMA VANA, ET INJVCVNDA *loquentem.*

Vt rebus vacuus mihi forte occurrerat Hirtus, Epigr.
Plurima vana refert, verba facitque diu. 46.
Numina jam faxint, nunquam nanciscar vt illum,
Sint vel ei faciant, otia nulla precor.

IN INGRATVM, MOLESTVMQVE NOBILEM, *Herum sæpè visentem.*

Sæpius vt dominum Fulvus nunc visitat ægrum, Epigr.
Credit & invisens ferre levamen ei.
Officium recipit, quo sensu me latet ille, 47.
Ægro sed moriar, si mihi visus erit.

IN ALIQVEM BARBARE DICENTEM SE NIHIL *callere velle.*

Quæ discis, dicis graphicè te discere nolle,
Nec doctrina, vt ais, conuenit vlla tibi. Epigr.

Si male, cur diſcis, teque in contraria ſcindis?
Si bene, cur, rogito, non opus omne dabis?

IN GALLVM NIMIS SVPERBVM.

Epigr. 49 Concilias odium fatuè, dum, Galle, ſuperbis,
Qui ſtudium placidus conciliare potes.
Imminuique ſcias ex cultu cum nihil vſque,
Cernitur vt, tanti cur tibi conſtat honor?

QVI AD DELICTA NOVA CVPIT EXEMPLA, *pejor cæteris abire deſiderat.*

Epigr. 50 Delictis ſemper noſtris exempla ſuperſunt,
Et quæ confirment, ſunt ea ſæpe nova.
Vtitur inventis quiuis, non ſanctior eſſe;
At nova, ſi quis auet, pejor abire cupit.

FACIES IPSA, QVÆ TACEMVS, LOQVITVR.

Epigr. 51 Scire volens melius, pejus num Sylla valeret,
Hoc rogo, par vt erat, ſed tacet omnis homo.
Sic mihi crediderint nuſquam ſecreta recludi:
Errant, namque oculis quiſque tacendo refert.

DISCRIMEN INTER DIVITEM, ET *Pauperem.*

Epigr. 52 Diues vbi valeat, felix eſt; at miſer æger,
Plurima nam linquens, rumpere vincla timet.
Pauper at infelix, felix eſt viuere ceſſans,
Deſerit vtque nihil, ſoluere vincla cupit.

SE INFELICEM DICIT, CVM PROMISSIS *ſtare nequit.*

Epigr. 53 Polliceor, ſperans me, quæ promitto, daturum,
Decipit aſt animum ſors mea cruda nimis.
Sic duo decipimur, culpa tum ſortis iniquæ,
Plectitur expectans, plector at ipſe magis.

IN CLINVM, QVI HERVM LAVDABAT, *eum tamen ægrum, & ſemimortuum non inuiſerat.*

Epigr. 54 Clinus heri laudat dotes, & diligit illum,
Eſt nec in Orbe, vt ait, juſtior vllus homo.

Quan-

Quantus amor Clini quiuis agnouerit ex his,
Viſus ei non eſt æger, & exanimis.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Ædibus ex iſtis videas, quæ cuncta ruère: Epigr.
Hæc fuerit moles maxima viſa tibi.
At modo, ſi quæ ſtant nunc obſeruare placebit, 55.
Haud erit vlla fere, quæ tibi tanta prius.

SI QVIS PENDAT QVAMPAVCIS AD VICTVM indigeat, nihil facturus ſit, vnde mundi caſus.

Vir ſatis vſque ſibi pendat, ſi quid ſit alendo, Epigr.
Non modicè ſtupeat cur labor immodicus. 56.
Penderet at ſemel vt quampaucis indiget ille,
Nil faciat, mundus decidat vnde ſimul.

FORTVNAM IN CVNCTIS SIBI CONTRARIAM innuit.

Ecce nihil ludo, properat fortuna fauere: Epigr.
Luſero quid lucri, tunc inimica cadit. 57.
Sic me ludentem ludit, ſpem tollat vt omnem,
Si tractare etiam ſeria forte velim.

ETIAM PARVA NOCENT.

Muſca libens ſcires nata ad quid, cuive bono ſit, Epigr.
Auxiliumque viro, quod ferat illa? rogas. 58.
Nil ais; at docet, & nobis ſic vtile præbet:
Quid docet? En audi, quod quoque parva nocent.

IN AVLVM MALE PATRIÆ SVÆ CIBORVM Succum probantem.

Succoſas Patriæ celebras dum laudibus eſcas, Epigr.
Hacce probaſque via, quod comedaſque minus. 59.
Arguis inde male, exhauſtum te at viribus infers,
Lautior haud cibus eſt, ſed minus, Aule, coquis.

NIL PVLCHRIVS FOEMINA PVLCHRA, nil carius ſapiente, ſed contrà.

Fœmina pulchra modo eſt oculis re pulchrior omni, Epigr.
Carior eſt quauis, ſi ſapit illa quoque. 60

At deformis vbi est, oculis nil fœdius illa:
Et si desipiat, nil odiosius est.

MALE COLLIGITVR SALVS, QVANDO pericula manent.

Epigr. 61
Erras, cum melius Baldum prætexis hab ere,
Quod melius comedat, dormiat atque magis.
Quid prodest somnus, quid prodest esca saluti?
Dum manet vsque malum, dira pericla manent.

IN LVSOREM INTOLERANDVM.

Epigr. 62
Quod nolit lucrari, & te cum perdere nolit,
Causatur falsó ludere nolit Hilas.
Quod ferri nequeas causor quod ludere nolim,
Comius ille quidem, verius ipse loquor.

IVSTA QVERELA DE IMMERITO QVERENTE.

Epigr. 63
Tu de me quereris, de te cum conqueror ipse;
Sed tibi nulla quidem, maxima causa mihi.
Imo duas præbes me ignarum lædere lædens,
Et queror vt meritò, tu sine jure querens.

IN OFFICIO FVNCTVM, QVI BENEFICIVM contulisse credebat.

Epigr. 64
Erras, cum vinctum me tanquam munere credis,
Quod functus fueris munere, Galle, tuo.
Accepi, verum est, abs te, sed quæ mea tantum:
Reddere, quæ data sunt, ne dare quæso voces.

IN DITISSIMVM, SED SEGNISSIMVM HOMINEM.

Epigr. 65
Quod plures inter diuisum vidimus olim,
Vnius in manibus cernimus hacce die.
Sed bona ne credas tantum hunc collecta tenere,
Segnities, cunctis quæ fuit, hæret ei.

OMNIA PEREVNT, QVÆ CADVCA.

Epigr. 66
Gaudia quid faustæ, quid tædia sortis iniquæ,
Post cineres dum sors omnibus vna manet?
Quid pariter prodest pulchris fiducia formæ,
Dum pulchræ æquatur fœdior effigies?

IN

IN VITIOSVM, QVOD NON EX CONVITIJS, ex ira ſperat.

Quod prius arguerem vitium, nunc rideo tantùm; Epigr.
Mens in ea te autem noſcito quæ mea ſit. 67
Nil in te proſunt quævis convicia fundam,
Quod pudor haud faciat, forſitan ira patret.

EJVSDEM VITIA PONDERAT.

Quæ de Mirtillo referam, vix credere poſsis; Epigr.
Nec ſi tu videas, poſsit adeſſe fides. 68
At bene Mirtillum, ſi quis dignoſcere poſsit,
Quæ faciat, quam ſunt, tunc meliora putet.

INVITA MINERVA, NEMO, LICET INSTRVCTVS normis, carmina condiderit.

Ars equidem normas dederit, queis carmina condas; Epigr.
Sed conſtent numeris carmina, non ſat erit. 69
Aſſeris incaſſum, fruſtrà ſudaveris vſque,
Te niſi docta parens edocet alma prius.

IN DVOS FERE EX ÆQVO INDOCTOS.

Doctior eſt vt te dictus, me judice, Gallus:
Me torvis oculis aſpicis inde modo. Epigr.
Parcito, ſi verbis male declaravero mentem, 70
Nam minus ignarum dicere noſtra fuit.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Cuique patet, ſplendent veſtitæ lumine ſtellæ,
Lux eadem ſtellis non tamen æqua nitet. Epigr.
Sic quorum veſtis ſplendet conformis in Orbe, 71
Vnos ne reputes, hos ſimileſque fore.

IN ADMODVM AVARVM.

Clarus erit Bellus, præclarus & inter avaros,
Mater avara fuit, talis eratque pater. Epigr.
At mirum nulli videatur avarior illis, 72
Addit enim ſordes ſordibus arte patrum.

IN AMARI, ET LAVDARI CVPIENTEM, VTROQVE *indignum.*

Epigr. 73
Laudari vt doctus vis, vis vt amicus amari,
Sis vt vterque opus est, sis vt vterque mihi.
Sperneris indoctus, satis es nec dignus amari:
Vt fieri nequit hoc, fit meritisque modò.

NOLENTI SÆPE AD VTILIA TEMPVS DEEST, *ad inutilia superest.*

Epigr. 74
Cuidam sic nuper: cur non ediscere multa
Curas, alma salus, dumque juventa finit?
Ille quidem sic: Vellem, at nobis otia desunt:
Tunc ego: Non desint, si nihili sit opus.

EST, QVAM SÆPISSIME TIMOR MALORVM *sævior ipsis malis.*

Epigr. 75
Non opus ad pœnas est experientia semper,
In magnisque malis est dolor ipse metus.
Sævior imo dolor fuerit timor ipse malorum:
Vt quæ fert animus, sunt grauiora pati.

ETIAM IN LVSV HOMINES INGENIOSI *quærendi.*

Epigr. 76
Ludito, si ludis, dum sit qui ludere noscat:
Ardua res etenim ludere, crede, bene est.
Cum bene ludenti perdens, lucraberis vsque;
Ludere cum fatuis, perdere semper erit.

NON SPE LVCRI, SED AD OBLECTATIONEM *ludendum.*

Epigr. 77
Lucrandi tantum causa, qui luserit ille,
Omnia, quæ ludat, perdere dignus erit.
Ausus enim dubijs rebus spem ponere certam;
Vt spe non dubia decidat, ille meret.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Epigr. 78
Talia quis nunquam contraria tempora vidit?
Cernitur hic luctus, læta videntur ibi.
Ast ægrum hic ludit simulata doloris imago;
Aut sanam hic ludit lætitiæ species.

NE

NEMO REPENTE MORITVR.

Naſcitur, ad mortem naſci quemcumque videmus; Epigr.
Mortis & eſſe ſuæ quælibet hora poteſt. 79
Cur ſubita dicant igitur quem morte periſſe?
Qui ſemel eſt natus, nemo repente perit.

DISCRIMEN INTER SPEM BENE NIXAM, ac vanam.

Spes bene nixa quidem virtus digniſsima laude, Epigr.
Hæc tutos faciat, vanaque ridiculos. 80
Non cupienda ſatis cuiuis cum prima ſit illa;
Hæc pariter fuerit non fugienda ſatis.

IN PESSIMVM MEDICVM.

Te pudet, atque dolet permultos arte necaſſe, Epigr.
Reddere queis vitam mens erat arte tua. 81
Conſilium muta, & forſan fortuna favebit,
Vt vitam ſerves, jam dare quære necem.

PERPETVOS FERENS DOLORES, IMPROPRIE *viuere, verò mori dicitur.*

Vivere ne credas, cernis quem ferre dolores;
Sunt etenim vitæ peſsima ſigna, pati. Epigr.
Tormentis preſſus, tortus ſævoque dolore: 82
Vivere non equidem dicitur vſque mori.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Falſa quidem nobis ſunt, nec ſunt credita ſæpe;
Nec mirum falſis ſit fere nulla fides. Epigr.
At res mira fere, quod vel veriſsima nobis, 83
Falſa modo tanquam nunc habeantur ea.

ORBIS EST THEATRVM, QVOD FIT IN EO *Fabula, homines actores.*

Cur ſcenas videant, cur quæſo theatra frequentent?
Nonne videre ſat eſt, quod fit in Orbe modo? Epigr.
Eſt quævis hominum humana actio, fabula tanquam, 84
Scena eſt quæque domus, quilibet actor homo.

IN ALIQVEM VITAM INDIGNE PVDORI præferentem.

Epigr. 85 Dicere quis posset, vitam præferre pudori,
Et fore se lætum, viueret ille modo?
Talia qui cuperet, demens & vixerit olim,
Quam vita, fuerit dignior ille mori.

LAVDATIO CHRISTIANISSIMI GALLIArum Regis, sub Alexis nomine.

Epigr. 86 Quæ cupimus, credis cur quod non præstet Alexis:
Respiciat, quod ais, commoda quisque sua.
At secus ille quidem toties qui præstitit olim,
Vtile nùm decori præferet ipse? rogo.

AD AMICVM ROGANTEM CVR NON QVOT vt ante carmina conderet.

Epigr. 87 Nostræ sæpe rogas, sint vnde silentia Musæ?
Curque fluant hodiè nostra fluenta minus?
Fons tibi ne mirum, noster quod non sit vt olim:
Fertilis ille minus, purus vt ante fluit.

Epigr. 88 *VT STET ANIMVS, CORPORI CONSVLENDVM.*
Est animus cæli, terræ est vt corpus ad instar:
Hoc minus est dignum, dignior ille coli.
Deficiunt animi verùm, vt cum corpore vires,
Curandum, stet vt id, ne cadat ille simul.

VITIOSI, QVAMVIS DISSIMILES, mutuò se diligunt.

Epigr. 89. Dissimiles multum, cur dicis, sunt & amici?
Haud tibi sit mirum, se vitio redolent.
Et vitium vitio quamvis hoc distet ab isto,
Est satis vt placeat, si vitiosus erit.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Epigr. 90 Principis effigiem solitus monstrare futuri,
Invidiam vt fugias, illico rumpis eam.
Personam perimat simul is, cui læsa sit icon;
Nec procul est odio quisquis amare timet.

IN

IN ALIQVEM BELLI SPE FVTVRI, PACI inhiantem.

Ille mori dignus, dignus belloque perire, Epigr.
Qui bellis inhians, fœdera pacis init. 91.
Dignus erit, pereat belli ſub pondere preſſus;
Qui belli cauſa, vincula pacis amat.

IN CIOCOLATAM ODORAM SATIS, SED nimis aquoſam.

Anteferenda quidem eſt, fateor, tua potio cunctis, Epigr.
Eſt nec odora magis, nec magis vlla ſapit. 92.
At libata modo tenues vaneſcit in auras:
Sit pretioſa minus, ſit modo firma ſatis.

NIHIL MANET IGNOTVM.

Quæ facias, credis cur nunquam poſſe recludi, Epigr.
Conſtat vt, ignotum cum ſit in Orbe nihil? 93.
Quin tibi ſit mirum verè quod facta revelant,
Et quæ non fuerint, nil reſerare pudet.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Cum queis ſint juncti, jungi non præſtitit olim, Epigr.
Quos junctos cernis, quique fuere prius. 94.
Nunquam disjungi permultis vtile, verum
Nil iunctos iterum diſſociabit eos.

AMORIS FIDVCIA, NON LÆDENDA EST patientia.

Non quod ſim patiens, me perpetuò fore, credas; Epigr.
Nil ſanare poteſt vulnera dira nimis. 95.
Nec ſpernas odium, quod te cognoſcis amari,
Sæuior eſt odio, credito, læſus amor.

QVIS DEBEAT ESSE DANDI, VEL NEGANDI modus.

Quæ dare tu nequeas, ſemper ſpondere caveto: Epigr.
Quæ verùm nolis, firmiter vſque nega. 96.
Stare potens verbis, nec ſtans, bis læſerit ille,
Vt non ſtare potens, læſerit ille ſemel.

QVÆ VICTORIA DICENDA SIT.

Epigr. 97 Hæc mihi jure modo poſsit victoria dici,
Quam virtute paro, quam mihi lucta parit.
Quæ meritis conſtant, curiſve hæc præmia ducam;
Quæ nihili conſtent, hæc nihil eſſe puto.

PARTA SEMEL, INGRATA SVNT, SI NIMIO *labore ſerventur.*

Epigr. 98 Vt mihi, quæ conſtant, quodam ſunt grata labore:
Parta ſemel nolo ſint mihi cara nimis.
Sunt & cara nimis, præſtat quæ parta parare,
Et mea quæque ſemel, ſunt aliena tamen.


EXTRACTVM EX IDILLIO THEOCRITI *Decimonono.*

Epigr. 99 Dulcia dulcis Amor cupiens præbere palato,
Suſtulit ex apibus, quod ſatis eſſet ei.
At furtum plectens, graviter tam punxerit vna,
Vt dolor inſanus preſſerit inde ſimul.
Ad Matrem queritur, faciat quod vulnera tanta;
Corpore & exiguo, bellua tamque levis.
Es ſimilis, dixit, nonne his tum Mater Amoris?
Num ſatis exiguus vulnera dira facis?

IN SENECTVTE QVODVIS MALVM, *vltimum eſſe timendum.*

Epigr. 100 Quæ patior mala, jam nobis majora minantur:
Tempora noſque magis, quam dolor ipſe, premunt.
Inſtat vbi ſemel infelix effœta ſenectus,
Morbus vel minimus cædere namque poteſt.
In nobis verum præſtat dum viribus ætas,
Vel majora ſolet ſpernere quæque mala.





LIBER SEPTIMVS.

AD SVVM C. D. FELICIANVM DE PISA ET CARBI Fernandez ab Heredia, Carolo Secundo Hispaniarum Regi vita functo immortalitatem scriptis suis tribuentem.

Vt tuus est Dominus, te ab fato vindice Liber, *Epigr.*
Sic tanto Domino morte solutus eris. 1
Laudatus, laudans vna concurritis ambo:
Est sua, nec dubites, gloria namque tua:
Æternum scriptis nam præstas nomen vt ejus,
Ille perenne tuum nomine præstat opus.

CAVSA LATENS LVCTVS PEJOR QVALIBET.

Cur ego tristis agam, cur & suspiria duco? *Epigr.*
Nulla noui luctus est noua causa mihi. 2
Causa latens tamen est hæc, quæ suspiria ducit,
Quam quæ nulla patet, nulla timenda magis.

IN INIMICVM BARBARE, ET INJVSTE infensum.

Non tibi damna tuli, fuerim nec causa doloris, *Epigr.*
Iratus gratis bellaque sæva paras. 3
Durius at quò me verbis, scriptisque lacessis,
Offensæ pœnas solveris inde magis.

IN EVNDEM.

Carmina, quæ doctis cunctis laudata fuère, *Epigr.*
Immeritò laceras, nec tibi visa tamen. 4
Falleris ast in ea vt convicia fundere credis,
Dedecus immeritum laudis ad instar erit.

IN EVNDEM INSVLSE VATICINANTEM, quas merebat pœnas.

Immeritas pœnas, indignoque omine diras, *Epigr.*
Vaticinans mihi tu, jam tibi jure locas. 5

In

In te justa quidem tua sic præcordia censent;
At pœnis careant, crimine quæque carent.

IN EVNDEM INDIGNIS PROBRIS LACERANTEM.

Epigr. 6 Rescripsi scriptis, sed non convitia fudi;
Integer at nec abis, fudero satque tacens.
Et quæcumque in me fueris tu fundere visus,
In te quisque statim credito fusa putet.

IN EVNDEM.

Epigr. 7 Tartareas pestes emittis, & ore venena,
Toxica nilque, nisi sic, tua scripta ferunt.
Hanc dederint labem scriptis contagia nostris,
Et tua, crede mihi, lecta fuisse sat est.

IN EVNDEM.

Epigr. 8 Non rescribo tuis scriptis, vt probra repellam;
Hoc ego si movear, namque silere velim.
At tua cum semper verum mendacia lædunt,
Vindicat haud nostri, justitiæ sed amor.

NON CANTVS HILARES, SED TRISTES
Vitæ cadenti jam conuenire innuit.

Epigr. 9 Non vt læta prius, tantùm sed tristia cantem,
Temporibusque meis convenit iste modus.
Olim firma salus, ætas fortisque vigebat,
Nunc vires abeunt, deficiuntque dies.

QVA RATIONE MORS DESIDERARI POSSIT.

Epigr. 10 Hic vitæ sit amans, cui sit fortuna secunda,
Et cui pro votis cuncta venire solent.
Æternam cupiat, cui sed contraria flarit,
Hoc mors cum tantùm sit cupienda modo.

AD AMICVM D. FELICIANVM GILBERT DE PISA;
qui probrosum in Authorem scriptum legere noluit.

Quod probrosa forent in nos, quæ scripta fuissent,
Epigr. 11 Vel lustrare oculis, displicet ecce tibi.
Non is amicus erit tantùm, qui laudat amicum,
Sed qui jacta in eum probra videre negat.

Offens

Offensæ reus est, lecta qui gaudeat ipsa,
Plectit & ille satis, volvere quisque fugit.

QVERITVR DE PIETATE INVTILI, ET SIBI nociva.

Astantem patri morbo, lectoque gravato; Epigr. 12
Posse videre negas, tu nec adire sinis.
Illius at frustra tentes succurrere damnis,
Cum mea visa semel, mox reparare queas.
Quid studium Patris spiret, non consule tantùm,
Nulla medela potest, cuius inesse malis.
Quemque levare vales, illi succurrito quæso:
Si faciesque secus, credito, cædis eum.

AD NESCIO QVEM, QVI HORA, QVA NOLLEM, sæpè noctu ostia pulsat, nec alloquitur.

Hora cum solita interdum nostra ostia pulses, Epigr. 13
Scireque tum cupiam qua ratione venis.
Ex te quæsivi semel, & bis, terque rogaui,
Vt dormire sinas, auxilierve tibi.
Num functis liceat dulcem turbare quietem
Viuorum, vtile nec percipere inde tamen?
Si quid agendum sit, tu horis me quærito justis;
Aut si nocte venis, tum referenda refer.
Me cum si nihil est, permitte quiescere quæso:
Munere proque tuo, sit tibi grata quies.
Est quid ridiculum toties me quærere, amice,
Dicere nec salve, nec voluisse vale.

AD EVNDEM.

Ad quid, cuique bono venias, ter te rogitaui, Epigr. 14
Et quare pulses ostia nostra simul.
Responsumque datum abs te tùm mihi non fuit vllum,
Vnde benignum te credere jure queam.
Censebam functos præ viuis esse benignos;
Talis at haud viuo visus es esse mihi.
Si mitis fueris, nos inter cum prius esses,
Cur prior vt fueras, tu quoque non es adhuc?
Si mala præstiterint forsan consortia damnum,
Cur bona lecta rogo non tibi turba fuit?

Viuos, nec functos, mites nisi ferre ego possum;
Si me vis socium, comior esto prius.

IN HOMINEM ODIOSUM, ODIOQUE DIGNUM.

Epigr. 15
Me quoties videas, tibi tum conquirere mos est,
An citius redeat noster avarus Hylas?
Absens, vel præsens, curæ vt mihi non fuit vnquam;
Non est an redeat mens rogitare mea.
Forsan at, huc remeet si, quod ne sit tamen opto;
An sit abiturus, sciscitor ipse prior.

JOCATUR IN SPEM, EX INSINUATIONE *amicorum, conceptam.*

Epigr. 16
Dant vt amici spem, breviter sortem esse futuram,
Auxilio nobis, nec secus esse ratum.
Nostris obsto malis, hinc & solatia quæro,
Certaque jam, fictis, damna rependo bonis.
Dum corpus steterit, spes credo fixa manebit,
Atque minatur vt id, jam cadet illa simul.
Quid post fata rogo spes tot delusa per annos,
Addiderit primis, nil, nisi damna meis?
Ingratus videar, spes sed si fertur inanis,
Nec sine spe fuerint nostra ferenda mala;

IN INURBANUM, QUI INTERROGATUS DE SUA *& suorum, nihil de aliorum valetudine quæreret.*

Epigr. 17
Cum rogo, num valeas bene, num valeantque parentes;
Respondere soles, vel bene, siue male.
Sed tu non rogitas pariter nos, num bene habemus;
Cognatis tamen est, & mihi nostra salus.
Si tibi non curæ est, nobis nec crede futuram;
Quæque tibi fuerit, sit mala, sitve bona.
Est sua, non dubito, quavis pretiosior vlla,
Sit tua, cedo, prior, nostra sequatur, age.
Sed nisi lex placeat, soli tibi prosit habere,
Sed soli pariter sint tibi damna quoque.

PAULATIM DEFICERE, EST IN VITA DISCERE MORI.

Epigr. 18
Deficiunt vires, corpus sensimque senescit,
Hoc ne decipiar, quid sibi velle putem?

Terreat est ne obitus præceps, casusque repente,
In cursu vitæ, discere sæpe mori.

TEMPORIS LAPSVS IRREPARABILIS EST.

Vt vitæ desunt anni, nos & premit ætas, Epigr. 19
Quod mihi jam perijt, nunc reparare volo:
Tempus at elapsum, non est reparabile damnum,
Hoc melius teritur, præteritum periit.

QVANTVM MEMORIÆ INTERSIT OPEM *ministrare judicio.*

Cur, age, servatrix infida potentia rerum, Epigr. 20
Tu plerumque negas credere quæque juvat?
Adsit mens etenim semper cum qualibet hora,
Cur tibi quam præstet, lenta negabis opem.
Afficias sævo hanc renuens cur quæso dolore,
Dum mens prompta tibi nulla petita negat.
Quid sine mente precor posses tu sola patrare,
Dum mens sola potest edere plura satis?
Vos tamen vnitæ possitis plurima sanè,
Quæ male disiunctæ, vel bene, credo, minùs.
Naturæ placuit simul vt vos jungere mecum,
Quæ strinxit sapiens, solvere ne placeat.
Vos exempla docent quantum concordia præstat,
Ne quantum noceat, lis inimica probet.

QVOD FAMÆ NIMIS INVIGILET, SE IPSVM *arguit.*

O quantum me torquet posteritatis amicæ, Epigr. 21
Cura simulque grauis, cura leuisque simul!
Dum famæ sector, gratas aurasque secundas,
Otia blanda mihi nocte negare placet.
Forte modos aliquis nostros damnabit agendi,
Anteferens requiem queislibet ille sonis.
Dormiat, haud renuo, possit cum moribus vti,
At precor hunc vti me sinat ille meis.
Mollia detque suo viuens cuncta otia somno,
Nam strepitus moriens audiet ille parum.
Forsitan, aut aliquem rumorem, si audiet vnquam,
Auribus illius hic non puto gratus erit.

IN DÆMONEM JOCVLATOREM, QVI OSTIA Authoris, aut bis, aut ter ſingulis noctibus pulſaret.

Epigr. 22 Cum te me liquiſſe putarem, nocte ſequente
Oſtia pulſaſti, moris vt ante fuit.
Mos vt erat nobis, ex te rogitamus, amice,
Cuncta referre velis, quæ referenda forent.
At ſpretis precibus, placuit tum dicere nulla,
Et mihi damna ferens, commoda nulla refers.
Perdere ſed requiem tibi ſi prodeſſe valeret,
Non ſane quererer, lætus at vſque forem.
Sed tibi, tumque mihi effugiunt vt tempora vano
Lapſu, eſt nec nobis vtile, ſiue jocus.
Quod doleam querar, & mirum ſic non erit vlli,
Tam male quod me habeas, ſed dolet omnis homo.
Et ſi ſola foret tibi cauſa, nec altera pœnæ,
Lædere me innocuum, non levis illa foret.

SE FVNCTVM FORE AFFIRMAT, PRIVSQVAM aliquod in ſe beneficium conferatur.

Epigr. 23 Vir fuit illuſtris, doctrinà clarus, & arte,
Cui data ſed fuerunt prœmia forte ſeni.
Exclamare quidem meritò ſic cœperit ille:
Dentibus vt careo, dant mihi credo dapes.
Ipſis at mihi, non ſolum jam cerno carenti,
Gingiuæ nec erunt, credo dabuntur vbi.

IN ALIQVEM ORE FACILE CONCEDENTEM, re difficilè tribuentem.

Epigr. 24 Multoties petii, conceſsiſtique petita,
Si dare dicitur is, qui dedit ore modo.
Fretus at hac ſpe, jam dederim ſic plurima multis
Verba, neceſſe fuit linquere quæ ſine re.
Læſa fides tamen haud nobis tum manſerit inde,
Non mea tunc etenim, ſed tua verba dedi.

IN FOEMINAM EBRIAM, QVI IRACVNDE Authorem momorderat.

Epigr. 25 Non timor ex armis, quibus vti tu auſa fuiſti;
Dentibus impreſsis, nec dolor inde fuit.

Ira metum nobis tua non incusserit vllum,
Verba minantia nec, non lacerata manus.
Ergo quid timui? Morsus si risero & ictus,
Credere (par vt erat) ne rabiosa fores.
Quod vires nequeant, desideriumque nocendi,
Virus sit verear ne mihi lethiferum.

IN EANDEM, SED VARIO SENSV.

Virus erat nullum, rabies tum nec fuit vlla, *Epigr.*
Corpus erat sanum, mens quoque sana fuit. 26
Hæc mala habere tamen cunctis tu visa fuisti:
Non mirum, biberas, plus satis illud erat.
Nec miratus ero, latices te hausisse Lyæi;
Quod fatearis at est res mihi mira modo.
Plura etenim fuerint nobis indigna patratu,
Quæ vulgare tamen dedecet ore magis.
Ridiculum at quid erit plus, quàm si fœmina potet?
Si potare fatens, ebrietate probat.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Dum vobis juvenes sinit ætas, ludite amantes: *Epigr.*
Sors hæret vestris nostra beata jocis. 27
Ast adversa malis hæret sors vt quoque vestris,
Ne mala proueniat, quæ queat esse bona.
Alis ne expasis velit ergo volare Cupido,
Sitque in amore modus, sit modus inque jocis.

QVOD CECIDISSET, ET SCRIPSISSET SVPRA CASVM, nec tanto dispendio scribere vellet.

Cum mihi scribendi nulla argumenta fuissent, *Epigr.*
Incedens cecidi, maximus vnde dolor. 28
Materies fuerit nobis tunc hæcce loquendi,
Si tanti constat dicere, Musa tace.

SPEM ALIJS VIRIDEM, SIBI SICCAM tantùm profitetur.

Spes viridis vulgo multis, cum dicitur esse, *Epigr.*
Causa sit haud dubiè, cur ita dicta sit his. 29
Percipient fructus, illusi nec remanebunt:
Cui secus acciderit, sicca vocetur ea.

IRAM SEDARI SVAM FATETVR, SI MERITO
irasci non negent.

Epigr. 30
Pronus ad iram sum, at solitus ratione moueri;
Tollitur at semel vt, tollitur ira simul.
Cum ratione velint si fortè irascar & optent,
Sit satis irasci, si sine jure negent.
At sit jure licet, tantum si hoc esse fatentur,
Arma cadunt manibus, labitur ira modo.

Epigr. 31
NVLLA FOEMINA FVRENS PVLCHRA ESSE POTEST.
Quæ formosa furit mulier, justoque furore
Sit licet, illa sibi consulit vsque male.
Iras expellat, sæuos motusque furentes,
Quæ pulchra & præstans dicier esse velit.
Quam vir, pulchrior est irascens fœmina quæuis;
Fœda tamen fuerit fœmina quæque furens.

FABVLA IN INJVSTOS CENSORES.

Epigr. 32
Est celebrata (ferunt) Venus vt pulcherrima Momo;
Credere, quam famæ, maluit ille oculis.
Vt vidit, simul & formam laudauerit ille,
Nec (dixit) visa est pulchrior vlla mihi.
Cantus, vt & risus, possunt & cuncta placere,
Est lepor in dictis, sunt & in ore joci.
At pedibus videam (dixit) tunc ire libenter:
Est fragor in soleis, cœpit vt ire modo.

IN DOEMONEM JOCVLATOREM, DE QVO
anteà jam questus est.

Epigr. 33
Insomnem cupit vt mea, qui noctu ostia pulsat,
Mensibus & tot ab hinc me vigilare premit.
Scire libenter ego cupiam, quæ causa mouere
Possit, & vnde sibi noxius ille labor?
Terreat vt si forsan me facit, vtque lacessat,
Prima laboris pars non bene cessit ei.
Tempore nec melius puto, vt altera cesserit illi,
Et neglecta prius, risero jamque modo.
Docta etenim species per menses rumpere somnos,
Vulgari strepitu conciliabit eos.

QVOD SOMNO BLANDO CORREPTVS VBI ERAT dormire, nec vigilare posset.

Languebam ſomnò priuatus forte quiete, *Epigr.*
Nec dormire ſciens, nec vigilare potis. 34
Ægrotum Medicus grauis at cum viſit amicum,
Tum ſomnus ſubitò fugit, vt aura leuis.
Si quid forte mali nobis nunc hæſerit autem,
Non ſane Medico ſic veniente abeat.

EPIGRAMMA JOCOSVM, ET MYSTICVM.

Spes, cui certa fuit pœnis, jam jam eſſe futuram *Epigr.*
Mercedem, potuit lætus adire operam. 35
Annorum numero preſſus, qui jamque ſenecta
Eſt vt ego, nec ſpes luceat vnde ſibi.
Res prope mira quidem, oſor quod non ille laboris
Muſas effugiat, carmina nuncque ſtruat.
Dixerit at mihi quis, tibi non eſt ſpes ab Olympo?
Et quocumque modò, proxima, ſum vetus vt.

IN MALE POLLICITIS STANTEM.

Pollicitus quæ ſum tibi, me memini illa dediſſe, *Epigr.*
Quæ ſis pollicitus, non dare cura fuit. 36
Non præſtes quæſo nobis, quæ munera debes:
Debita habeque tibi, ſed data redde mihi.

IN ALIQVEM BENEFICIA, QVÆ POSSET conferre, renuentem.

Acceptus Regi in cunctis, & creditus illi, *Epigr.*
Conferre in multos munera plura potes. 37
Sed tu poſſe negas, cum quiuis te vrget, & inſtat:
Quod ſi verum eſt, es dignus amore tamen.
Si potes, & non vis, ſolet vt contingere multis,
Dignus amarier es, ſolus at ipſe tibi.
Si timidus cupias, vlli nec munera curas,
Quid fauor en tuus eſt, dicito cuive bono?

AD

AD NOBILEM AMICVM, CVI AVTHOR EST, vt ſpreto Medici conſilio, cauterijs non vtatur.

Epigr. 38
Adſtiterim, memini, docti Chironis alumni
Dictis, ſuaſibus, & cunctaque nunc teneo.
Tu ſed amice, tene tibi, quæ modo poſtea dixi:
Hæc bene ſi teneas, cætera credo fluent.
Non cunctis Medicis vna eſt ſententia, verùm
Sæpius objurgant, ſe pariterque premunt.
Damnantes vidi haud ſane cauteria paucos,
Et multos vidi, qui quoque & illa probent.
Dixero ſed vere, quod vidi in pluribus annis,
Ægrotos plures cum medicamine eo.
Et præter morbum, duo qui cauteria haberet,
Dicier hunc equidem ſic tria habere mala.
Et ſi plura forent, poſſunt vt quatuor eſſe,
Quot medicamina ſint, ſic tot adeſſe mala.
Adde, quod vt reor, & ſat plures eſſe fatentur,
Squalidius nihil eſt, fœtidiuſque nihil.
Sed Medici damnent me illis ſic tollere viſum,
Præſcribant quod ei, quod faciantque alij.
Parcant ſed mihi, parci quæſo ſint ſimul ipſi,
Contenti viuant ſorte ſua, atque bonis.
Et ni forte velint prouentu viuere læti,
Sit pro menſe mihi, ſola dies quod eis.

DESIDERIVM SCRIBENDI INNVIT.

Epigr. 39
Me non aſsidui vexant, magnique dolores,
Dicere ſed nequeo me bene habere tamen.
Namque habitus recti, referunt vt ſæpe ſalutem,
In quocumque malo mortis imago patet.
Non diſtincta adeo fateor, nec proxima tantûm,
Vt terrere queat, ſed premit illa tamen.
Et cur hanc timeam, me non dixiſſe negabunt,
Si tantûm vt ſcribam, vitæ inhiare ſciunt.
Contentus moriar functus, ſi ſcribere poſsim;
Aut viuus ſcribens, lætus ego patiar.

*** *** ***

EX

EX MVLTIS SIGNIS SE DIV NON VICTVRVM infert.

Sim victurus ego quantum, ſim quotque diebus, *Epigr. 40*
Neſcio veridicus, neſcit vt vllus homo.
Sed non permultos victurum me ſcio ſanè,
Monſtrant vt vires, debilis atque ſalus.
Vtque canit Cygnus, tetigit jam mortis vt horam,
Haud ſecus ac præſtat, mens quoque noſtra canit.
At tamen illa canit non triſtia funera ſemper;
Miſcet at interdum gaudia triſtitiæ.
Cygnus vt omnis obit, ſic ſemper triſtia cantat,
Pars manet vtque mei, ſic quoque læta cano.

QVOD PER INTEGRAM NOCTEM DVM VIGILARET Author, dæmon Joculator non veniſſet.

Adventum vigilans manſi viſentis amici, *Epigr. 41*
Pulſare oſtia ter, qui mea nocte ſolet.
Et miratus ego ſum, quod non venerit ille,
Vt placet, atque favet, qui prius obſtiterit.
At quis forte rogabit, quî placet, & favet ille?
Hic placet en habitu, meque monente favet.
Noxius, atque grauis, ſomnos qui rumperet ante,
Vtilis en opera ſic modo factus erit.

EPIGRAMMA AB OMNI PARTE MYSTICVM.

Non ſumus vt ſimiles genio nos, nec ſumus arte:
Convenit inter nos ſæpius inde male. *Epigr. 42*
Non miratus ero ergo, quod commercia linquas:
Atque aliunde quæras vtile quod tibi ſit.
Vna etenim non eſt merx, quam nos vendimus ipſi,
Quilibet at vendit, vendere quamque potes.
Vna tamen fuerat multo pretioſior auro,
Qua mihi, ſed quondam, tu pretioſus eras.
Quærere dum poteram magni hanc feciſſe fatebor,
Ejus amore ſimul, te quoque captus eram.
Quod foret hæc tua, non ſane pretioſa manebat,
Tempora reddebant, tempore talis erat.
Tempore ſed vitium ævi non contraxerit illa,
Indole ſed talis, tempore facta fuit.

Hac

Hac ſimiles eſtis, tamen haud vos convenit inter,
Et neuter veſtrûm gratior eſt animo.
Conjungit tantûm vos, vt male ſana voluntas,
Sic eſtis memores, ſed tamen ambo mali.
In veſtris animis facti haud deletur imago,
Aſſolet aſt in eis nulla manere boni.

IRRIDET MVSICES PERITVM, SED LINGVÆ LATINÆ ignarum, qui, quod inter duo ejus Epigrammata Latinè ſcripta, diſcrimen eſſet, dijudicare auſus erat.

Epigr. 43
Muſica (credis vti) Heſperiam, linguamve Latinam
Edocet, & canis vt, te reputaſque loqui.
Ars tua ſit licet ſpecies, & forma Poeſis,
Inter ſe diſtant carmina noſtra tamen.
Tu numeros equidem cantas, numeros ego condo:
Condere calleo ſed, quos canis haud referunt.
Cur ergo numeros credis, verſuſque Latinos,
Te capere arte tua, tu modo cumque canas?
Carmina quod condam, quid ſi cantare putarem?
Haud dubiè de me rideat omnis homo.
Haud ſecus en tibi contingit diſcrimine nullo,
Qui videat, dubitet, rideat haud dubitans.

DISCRIMEN INTER POESIM, ET MVSICAM, Et Picturam, quæ muta Poeſis nuncupatur.

Epigr. 44
Cur ſunt, quæſo, ſuperbi, qui cantare periti,
Et potiores ſe Vatibus eſſe putent?
Cur quoque ridiculè credunt, & pingere docti,
Artem ſicque ſuam cuilibet anteferunt?
Pictores referunt, Pictura eſt muta Poeſis,
Vt Pictura loquens nil niſi carmen erit.
Inter vtramque tamen non ſunt diſcrimina pauca,
Quæ mentis compos cernere quiſque poteſt.
Dixeris at, Pictores, & cantare Periti
Proſperiores an Vatibus eſſe ſolent?
Haud dubiè, at contra Vates quid conjicis inde?
Num fortuna fauens eſt meriti indicium?
Sunt oculi multis, aures & pluribus æquè,
Ingenium paucis, ſæpius idque malum:

Non ſunt Auguſti, nec Mecœnatis alumni,
Exemplo primi, qui potiora petant.

AD JOCVLATOREM DOEMONEM, de quo ante.

Fulmina, vidimus, aduerſus te Eccleſia miſit,
In te miſſa quidem ſed potuere nihil.
Ens ſis cum verum, tu cum noſtra oſtia pulſes, *Epigr.*
Vellem conferres vtile quodque mihi. 45.
Multoties dixi, & nunc ſum præſtare paratus,
Aut ſi egeas operà, dicito, quid ſit opus?
Incaſſum noiis noſtros ſed rumpere ſomnos:
Dic ad quid venias, perpetuò vel abi.

IN ALIQVEM MALE DE OPIBVS SENTIENTEM.

Dic quæ fama tui poſtquam tu vixeris annos
Plures, atque aliò ſpiritus ire paret?
Num manſura putas tua poſt te nomina quæſo, *Epigr.*
Vt pereant facias, cum modo quæque potes? 46
Decipier dices ſed me, cum talia dico:
Nomina ſtant vt opes, ſic ſteterintque diù.
Vllus nec fuerit ſeruandis, hiſque parandis,
Promptior vſque ſemel, callidiorque ſimul.
Addito, quod nati ſimiles ſunt patris auari,
Vnde vt vtriſque vides, gloria certa manet.
Talibus ergo procax dignum te viuere cenſes?
Cenſeri dignus talibus ipſe mori.

NVLLA AD VITAM SECVRA DIES.

Perdiderim quid ego annorum jam pondere noſco,
Attulerint anni, quæ mihi cognita ſunt.
Et mala cuique bonis, & compenſare licebit, *Epigr.*
Non mea damna quidem, dixero lucra magis. 47.
Reddiderit tum quis, mortem dum vita minatur;
Tu lucri titulo dicere damna potes?
Hora refer juveni quænam, vel quæſo valenti,
In quacumque poteſt certa manere die?

*** *** ***

IN AVARVM NON SVMPTIBVS SVIS *epulatum.*

Epigr. 48
Magnificas epulas celebratur Pluto dedisse,
Fama dedisse nec est sumptibus huncque suis.
Nam furatus erit prius vt quæcumque dedisset,
Diripietve citò, quæ dedit ipse modo.

Epigr. 49
IN EVNDEM SVPERBE MAIORES FASTIDIENTEM
Non memor ille sui, primæ nec sortis iniquæ,
Aspicit vt meritam, quæ fauet ista modo.
Turgidus inde simul jam despicit ante patronos,
Et queis servus erat, respuit esse comes.

AD MVSAM.

Epigr. 50
Quid prodest nobis, Musa, argumenta negare?
Scribere cum statuo, cedere mox opus est.
More tuo tantùm forsan vis carmina condam?
Carmina more meo scribere, Musa, volo.
Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
An sit at hoc pulchrum posse referre rogas?
Inficietur quisnam? Ego (sic te agitante) calesco,
Ast agites cupio, nunc quotiesque volo.

AD NORIMANVM PESSIMÆ FIDEI *hominem.*

Epigr. 51
Innocuum quamuis (tu scis) me læseris ipse,
Sis & latro simul nominis, & loculi.
Indolis ast ego sum mitis simul vtque benignæ,
Te potis vlcisci, non tamen vltus ero.
Aures sed fugiunt tua semper nomina nostræ,
Offensæ speciem nomina namque trahunt.
Sæpe etenim posim quamuis meminisse per horas:
Nos magis vsque premit mentio quæque tui.

AD DOEMONEM JOCVLATOREM.

Epigr. 52
Si tu forte voles nobis, quod es esse videri,
Quæso jocare modo, nullave damna feras.
Rumpere sed nostros sine cur discrimine somnos?
Lex puto nulla sinit, jus vetat omnimodo,

Si nostrum strepitu quæras ostendere casum,
Ne terrere time, certus vbi aptus erit.
Certior & fuero ejus vt, haud hoc nomine dicam;
Expurgat vitam, surgere quique docet.

CVM PARIBVS, SVPERIORIBVS, ET INFERIORIBVS *quæ sit forma jocandi.*

Cum simili ludas licet, æquis ludito verbis; Epigr.
Aut inimicus eris, cui modo charus eras. 53
Si te major erit, caueas illudere dictis:
Sperasne vnde jocos, seria damna feras.
Si minor, hunc videas nimio ne scommate lædas;
Hoc nisi tu facias, crede tyrannus eris.

VOCE CVM PARIBVS, CVM SVPERIORIBVS *silentio carpendum.*

Parcere verba sciunt, quæ nostra silentia plectant, Epigr.
Plectendique modus non reprobandus erit. 54
Possumus haud omnes, cunctis vt pandere sensus,
Sic quæ non faveant, illa silere licet.
At quæ displiceant, & non sint digna probari;
Non laudans carpo, plectoque dum sileo.
Haud verum taceo queis possum exponere mentem,
Sed verbis mulcto, censeo quæque mala.

NIHIL LVDO PEJVS AB EXPERIENTIA *asserit.*

Si quid heri feci, mos est vt sæpe rogare,
Est, vt Amice, rogas, dicere mosque mihi. Epigr.
Horas quinque ferè, non insumpsisse negabo, 55
Aut faciendo nihil, vel quoque pejus eo.
At nihilo pejus. Num quid sit forte rogabis?
Lusi (reddidero) pejus an hocce nihil?

MINATVR ALICVI, SIMVLQVE CONSVLIT.

Speras, moxque times, & credis pandere amorem,
Et curam Patriæ, quo retegasque mihi.
Non leue nunc odium velo, hoc sed credo subesse, Epigr.
Tempora quod retegant, consiliumve noua. 56

*** *** ***

IN ALIQVEM OCVLIS INFIXIS NVLLVM *aspicientem.*

Epigr. 57
Infixis oculis nullum quod respicis vnquam,
Plures inde solent ducere signa mala.
Nescio judicii sint falsane, certane, verûm
Te modo nunc memini nulla patrasse bona.

INTERPRETATIONE JOCOSA, VXOR QVÆDAM *maritum impotentis insimulat.*

Epigr. 58
Incomptæ titulo quamdam cum forte vocarent,
Lingua quique alia dissona sæpe sonat.
Sed placuit tantum verè explicat vtque maligne,
Quis secreta domus sic reserauit? ait.
Coniugis atque mei quis tandem arcana retexit?
Nam quæ passa diû, docta silere fui.

IN MATRONAS QVASDAM PRETIOSAS *Vestes superbè, & consultò commaculantes.*

Epigr. 59
Matriti, vtque alibi se se inuisunt vt amicæ,
Indica, moris vt est, potio cuique datur.
Tum quædam consulto vt casu vertere potum
Fingentes, tunicas commaculare solent.
Infelix equidem sors, atque dolenda mariti,
Cui censum conjux despicit hocce modo!
Ridendus simul, & damnandus tumque maritus,
Qui pretiosis hanc vestibus induerit.

DE PERICVLIS, ET DAMNIS IN TAVRORVM *agitatione festiva contingere solitis.*

Epigr. 60
Diris in festis, sæua demumque palæstra,
Quam gratam faciunt damna, cruorque simul.
Cum tauris homines, in queis pugnare jubentur,
In queis aut potius belligerare petunt.
Sub decoris speciè, sic tumque pericula quærunt,
Hi tristes obeunt, quæque adeunt hilares.
Sic pœnasque luunt commissi criminis vltro,
Vulneribus diris, morteque sæpe simul.

AD

AD AMICVM DE RECIPROCO IN VNA SYLLABA *errore.*

Vt mihi facta quidem breuis ante est syllaba forsan, *Epigr.*
Falsi vt tumque sumus, quæ modo longa fuit. *61*
Sic quoque longa tibi facta est, quæ sæpe licenter,
Est brevis, vtque patens præstiterit *charitas.*
Respectu vario sed sic errauimus ambo,
Erraui, verúm non sine consilio.
Quæ sunt longa (probat vox vt *mysteria* cuique)
Vt decet ingenuum, mens breuiare fuit.
Vt decet vsque pium, nolens lentum quid haberet,
Sic *charitas* volui, quod breuis illa foret.

MENDAS LIBRI, MALE A QVODAM BATAVO *versi, in Interpretem transfert.*

Quam primo scripsi historiam vertère Bataui, *Epigr.*
Quam male sed nostræ versio scripta refert. *62*
Gallica quisque putet, quæ continet ille libellus
Noster, barbara sed versio quæque habeat.
Ex sermone ipso nobis, quæ versa fuere,
Tandem & in Hispanum sunt ea nostra quoque.
Hæc Lector moneo, Matronæ nomine Cellæ,
Hæc jussu cujus scripta sit historia.
Nominis atque mei causá hæc te scire volebam,
Justitiæque ergo, tum decorisque simul.
Est, vt & in scriptis, si quid peccauimus, æquum
Damnemur meritò, jura secusque volunt.
Non sibi prospiciens, male si quis scripserit ille,
Damna ferat solus, scripserit vnus vt is.

AD CHLORIDEM.

Sanguine nec genio similes assedimus vnà *Epigr.*
Plures, Chloris at his vnica visa modo es. *63*
Quæ cunctis faueat, sine quæ discrimine multis,
Nulli crede fauet, sæpeque lædit eos.

AD EANDEM.

Est lepor in dictis, ridenti gratia multa, *Epigr.*
Es formosa satis, tum juvenisque simul. *64*

Omni-

Omnibus at quod es optas, vt quærisque videri,
Paucis credo places, displiceasque breui.

NON MODO PVLCHRA TALIS, SED FOEDA *formosa dici vult.*

Epigr. 65 Paucæ sunt equidem, quæ non & laudibus optent
Efferri, modo sit forma venusta satis.
Quid mirum cupiat, quæ pulchra est, pulchraque dici,
Pulchra vocarier & si quoque fœda cupit?

IN RIDICVLVM SCRIPTOREM INEPTISSIMI *Libri.*

Epigr. 66 Nouimus ex scriptis jam te scripsisse libellum,
Famosumque satis, si male fama sonat.
Si bene, conveniunt huic non hæc nomina, cum sit
Et nihil insulsum, ridiculumque magis.

IN EVNDEM.


Epigr. 67 A Secretis, fama volat, te Principis esse,
Scribenda ignarum quomodo littera sit.
Si sermone quidem vulgari sitque loquendum,
Sincerè nullus munere dignior est.

JVDICIVM VARIVM DE FOEMINIS.

Epigr. 68 Si mulier forma, ingenio sed prædita non sit,
Dicier hæc meritò posit imago mouens.
At si mente valens est, & simul inde superba,
Pœna sit illa manens, suppliciumque loquax.
Ingenio, & cum forma, si moderata sit illa,
Ingenio, & forma prædita bis tibi sit.

VIGILIAS SOMNO ANTEFERT.

Epigr. 69 Somnus vt aufertur casu, nulloque dolore,
Ægrè quin tulerim, gestio lætitia.
Mente etenim vigilans, ni scribo, plurima volvo:
Dormio dum verò, tum modo disco mori.

NVL-

NVLLI OBISSE PVTETVR, SI PLVRES ANNOS *vixiſſe dignus habeatur.*

Sol vincit nebulam, & frigenti præualet vmbræ, *Epigr.*
Incaſſum, & radijs officit ejus ea. 70
Inuidiam ſpernas famam, quæ evertere tentat,
Luci namque tuæ nulla nocere poteſt.
Fulgorem valeat, fateor, nam condere tantum,
Clarior vnde quidem luceat ille cito.
Vixero, ſed paucis, ego, tu mihi dixeris, annis,
Cum plures numerem, queis nimis ipſe premor.
Si vixiſſe magis poſsim tum dignus haberi,
Me, niſi decipiar, nullus obiſſe putet.

QVORVMDAM BATAVORVM NAVIGATIONE *peremptorum ex ſummo frigore laudatio.*

Frigida vos quondam ſulcaſtis qui æquora velis,
Quæ gelidus Boreas conglaciare ſolet. *Epigr.*
Frigora, quos tandem potuerunt dira necare, 71
Quos ſtudium veſtri mouit obire necem.
Frigus vt immani potuit vos tradere morti,
Sic vobis dederit viuere perpetuò.
Quæ glacies veſtros afflatus clauſerit olim,
Hæc ſeruare ſciit corpora veſtra tamen.
Sic vitæ ſpeciè, mortem necnon reparando,
Vindex adſtiterit criminis ipſa ſui.
Sed vobis fuerint non hæc ſolatia tantûm,
Orbis ſi rerum notio quæque manet.
Manſerit inuito veſtri nam funere veſtro,
Gloria fixa animis, cordibus intus amor.
Et nati paribus veſtro jam munere functi,
Vt ſimul & vita, viuitis vſque tamen.

IN ALIQVEM VAGIS, DISPERSISQVE OCVLIS *aſpicientem.*

Diſperſis, oculiſque vagis, cum fallere credis, *Epigr.*
Falleris ipſe quidem, noſceris atque citò. 72
Errantes oculos fixæ nam ſigna referre
Mentis ſi reputas, falſius en nihil eſt.
Proditor, & fatuus tantum cernuntur in illis,
Quod ſatis ex vſu cuique patere poteſt.

IN ALIQVEM, QVI DORMIENS STARE, & incedere dicebatur.

Epigr. 73
Hæc tantum referam, fuerint jam quæque relata;
Sed non visa mihi, credita tumque minus.
Fertur, quis tali vinci, tantoque sopore,
Stans vt dormiret, tum gradiensque simul.
Res ita si fuerit, non huic opus esse cubili
Dixero, cum sit ei lectus vbique quies.

IN ALIQVEM NIMIS SVPERBE ARROGANTEM.

Epigr. 74
Nec mihi notus eras, te nec cognoscere curæ
Tunc erat, ast te alij prodere cura fuit.
Dixeris at forsan, retulit verum ille rogatus,
Nulla rogaui tunc, omnia sponte dedit.
Vnde sed eueniat quæras? è more superbo,
Quo magis esse cupis, te minus esse volunt.

SPEM IN POSTERITATE AB OMNI INVIDIA exempta ponit.

Epigr. 75
Tempore scribebant, quo tot, qui scripta dedere,
Hæc veneranda suis, vt veneramur ea.
Contenti veterum scriptis, si forte fuissent,
Non sane illorum gloria tanta foret.
Scribere qui nequeunt, aliorum scripta revolvant;
Scribere quique potis scribat & ille quoque.
Ingenium nobis fuerit non pluribus impar,
Posteritasque dabit, quod negat invidia.
Speratisque bonis & jam persæpe potimur,
Nec mihi viuenti, quilibet invidus est.

IN HORRENDVM CRIMEN HORRENDA MORTE punitum.

Epigr. 76
Venerat vt primum delicti rumor ad aures,
An ne homo tunc dubium, bestia numve fores.
Vt visa effigies, species est credita nobis,
Supplicioque fuit credita culpa mihi.
Sed siccis oculis possim vel cernere mortem,
Horreo namque tuam, non miserorque vicem.

***   ***   ***

AD

AD LIBELLOS.

Ite per Orbem jam chari, fidique Libelli, Epigr. 77.
Doctus vbique libens vos leget omnis homo.
Et si vos forsan quis non admiserit vltrò,
Aut vos non capiet, forte vel hostis erit.
Tunc memores cupio sitis me scribere neutris,
Ignarosque fugi, spernitur hostis vti.

AD MVSAM SVAM, SVPER SILENTIO EJVS.

Me, fateor verum, tua, Musa, silentia terrent, Epigr. 78
Otia per bini vt præteriere dies.
Quid velit hocce sibi capio non, hoc scio tantum,
Scribere vbi cessem, vita peracta mihi.

ARGVIT FOEMINÆ INCONSTANTIAM.

Et tecum bibimus semel, & tum prandimus vnà, Epigr. 79
Hacque die tibi sum visus amatus ego.
Postea te vidi vt, quam tum mihi visa fuisti
Altera, discrimen dic precor vnde fit hoc?
Me quoties videas, aut nos admittere mens sit,
Vel mecum pota, siue videre nega.

TARDA SORS NVLLA FERE EST, QVIA CVM breui morte vanescit.

Carmine nunc dicam, quod jam sermone soluto, Epigr. 80
Sors mihi grata modo, si venit illa citò.
Sed quæ nunc veniat dicatur tarda venire,
Tarda nimis cum sit, quæ venit illa seni.
At si quis rogitet (credo nam posse rogare)
Et si nulla venit? non erit inde dolor.
Si adventarit enim, breviter mors auferat illam,
Nec pars, qua potiar, digna dolore mihi.

AD MEMORIAM, CVI JAM NIHIL Se conmmissurum dicit. Epigr.

Non tibi jam fidam, seruatrix perfida rerum, 81
Credita quæque tibi, dira referre negas.
Qua ratione precor, jam facta rependere damna
Possis? Cum renuas, quæque fuere data.

Judicio credam, quod me non fallere nouit,
Decipier mereat, qui tibi fisus erit.

QVARE HORREAT, QVÆ OLIM PLACVERVNT, & è contra.

Epigr. 82
Quæ placuere mihi, nobis fastidia nunc dant:
Plurima nuncque placent, quæ prius horruimus.
Incipit vt nobis vita, & tum decipit illa;
Soluit at errores, finit vt ipsa semel.

AD HYLAM IN HYLAM.

Epigr. 83
Curta domus fuerat tibi, magna nimis tamen illa;
Si spectent animos, hæc & habenda fuit.
Altera major erit tibi cur nunc quæso locata?
Jam teneo, pretium solverit alter, Hyla.

IN FILIVM EJVS.

Epigr. 84
Parcat vt impensæ Pater, hunc vt noscit auarum;
Facturum gratis, quæ cupit illicò ait:
Dignus Patre puer! Doctus redolere Parentem,
Omnia qui gratis sic facienda velit.
Forsitan at quærant? an fiant omnia belle?
Est mercede labor, dignus vt est opifex.

CVR LATERNAM LVNÆ ANTEFERAT.

Epigr. 85
Laterna ductus, sed tum lucente Diana,
Miraris gradiar, credere vixque potes.
Luna quidem lucet, verùm non Solis ad instar:
Lux licet haud radians, cujus vbique nitet.
Quò cupiam possum haud certe removere Dianam:
Laternam posim ducere quò que placet.
Quæ quouis optem posit supplere Dianam,
Hæc Triuiæ fuerit tum mihi jure loco.

VNDE SPECIES VENIAT, ET VNDE Nobilitas.

Epigr. 86
Tu quæcumque potes, præstas, vt nobilis esse
Credaris, verùm nil tibi seruit opus.
Falsi nam tituli prosunt, nec nomina tandem,
Non illustrior at, dignior vsque joco,

Vires ipsa tuas possis vt pulchra videri,
Contendis, verùm pulchra nec esse potes.
A Cœlo species, frustra sed quæritur arte,
Nobilitas ab auis, non venit illa dolo.

EPIGRAMMA IN PHORMIONEM DVRVM, & quare.

Phormio durus vt est, mirum ne quæso sit vlli, Epigr. 87
Cuilibet at mirum, si secus ille foret.
Blandus enim esse potest, & qua ratione rogarem
Cujus sit? patet vt, ferrea nobilitas.

AD CHARISSIMVM AMICVM D. FELICIANVM Gilbert de Pisa & Carbi, quem vrget vt promissa aliquorum opera, in lucem edat. Epigr. 88

Qui scribunt plures verùm sermone soluto,
Quæ sis pollicitus carmina plura petunt.
Sunt aliena quidem, quæ tu promiseris illis;
Nec si scripsisses, hæc tua, amice, forent.
Quorum sunt igitur, mea ni sint, sint ni aliena?
Hæc fuerint horum pollicitus quibus es.
At breviter dederis, si quæ promiseris illa,
Sint aliena simul, sint mea, sintque tua.

QVAM INVTILIS SIT HODIE SCIENTIA.

Quid prodest plures quæso evolvisse libellos? Epigr. 89
Docto quidque viro proderit esse sciens?
Mentis acumen quid tandem, si pluris habetur
Emptor, vel stultus, venditor aut stolidus?

IN PATREM AVARVM.

Vult auscultetur puero bis concio sancta, Epigr. 90
Quaque die Pater, & munera sacra jubet.
Sancte Parens! Pueri lucet cui cura salutis,
Omnia quique movet, viuat vt ille piè.
At tibi ne mirum, nihili nam constitit illi;
Sed si constiterit, nulla salus sit ei.

MELIVS EST SOMNO INDVLGERE, QVAM *audire fatuum.*

Epigr. 91 Somno correptus luxi, charissima Musa,
Quod non pro votis esset vtrique labor.
Vt visit fatuus, sermo sit cujus inanis
Presserit, & tempus sumpsit inutiliter.
Num melius somno dic indulgere fuisset,
Aures quam fatui tum dare colloquio?

Epigr. 92 FELIX IN CONQVIRENDO ALIIS, *infelix sibi ipsi.*

Non mihi, sed cunctis semper conquiro libenter,
Sors fauet optatis, cuilibet vtque peto.
Non modus est idem, mea sed dum commoda quæro,
Hæc inimica mihi namque petita negat.
Et mala si mihi forte etenim vel quærere vellem,
Incassum peterem, consequar atque nihil.

Epigr. 93 IN DEBITOREM, IN QVEM EPIGRAMMATA *scripserat.*

Nummorum summam mihi te debere querebar,
Proque labore meo sæpe rogasse tuli.
Plura tibi debet, dixit tunc cui illa referrem,
Multa epigrammata enim sunt tibi facta in eum.
Quæ dederat retuli, dico, argumenta laboris
Scripta mihi, sed ei facta fuere prius.

VERSVS PERMANSVROS SPERAT.

Quaque die mihi ducta est quæuis linea semper,
Epigr. (De se narrabat Pictor vt eximius)
94 Quas pinxit verùm anni deleuere tabellas,
Manserit at quæuis linea scripta mihi.

VT FVNCTI SVNT ALII, ITA ET NOS *vita fungemur.*

Epigr. Accipio functos, viuos quos esse relatum,
95 Ante parum fuerit, quosve videre datum.
Horrendum visu, ast visu jam tollitur horror,
Exemplo mihi sunt, moxque futurus ero.

IN FAMVLOS SVPERBIENTES.

Scire velim venit vnde hæc tanta superbia multis, *Epigr.*
Officio obſcuris, conſpicuiſve parum. *96*
Dant animos domini, venit hinc crede error eorum,
Et credunt dominos nobilitare juga.
Mente proba verum fuerit, qui præditus ille,
Dixerit eſſe alios, munera non alia.

IN ALIQVEM CARMINA NON CONDERE, ſed vngues corrodere ſolitum.

Ungues quæſo tuos adeò corrodere ceſſa, *Epigr.*
Signis hiſque tuis fallere deſinito. *97*
Qui te rodentem videat, putet eſſe Poetam,
Hos ne corrodas, carmina conditove.
Carmina condo tamen, ſed eos non rodere noui:
Integra cui mens eſt, integer vnguis erit.
Qui facilè ſcribat tanti non carmina condit:
Gratior eſt partus quiſque dolore carens.

IN ALIQVEM, CVI MERITO INFENSVS ERAT.

Vt verè dicam, tibi quam male conſuluiſti, *Epigr.*
Cum ſine pœna me lædere credideris. *98*
Quas ſtruxiſti ædes ruerint, citiuſque peribunt,
Quam pereant in te carmina ſcripta mihi.
Hæcque tuo cunctis fuerint ſine nomine nota:
Nomine nec poſito, nomine notus eris.

DISCRIMEN INTER ÆMVLVM, ET INVIDVM.

Inuidiam fugio, verùm placet æmula virtus,
Sæpius & dotes æmulor ipſe bonas. *Epigr.*
Æmulus, atque probus poſsit nam vir ſimul eſſe, *99*
Inuidus, atque bonus vir, ſimul eſſe nequit.

IN ALIQVEM, QVI OB CAVPONAM, QVAM Peſsimam dicebat, Regias, & magnificas ædes viſere noluiſſet.

Cauponæ cauſa, quam non placuiſſe fateris, *Epigr.*
Ædes magnificas diſplicuiſſe refers. *100*
Diſplicuiſſe negas, ſed cum non videris illas:
Cernere quæ fugias, diſpliceantne precor?

Si recti compos tibi mens & ſana fuiſſet,
Ædes tunc ob eas cuncta probanda forent.
Sic cum damnàris, quæ ſint tam digna probari,
Damnanda innueris cuncta probata tibi.



LIBER OCTAVVS.

SE EXCVSATVM VVLT, QVOD ALIQVANDO maturè lectum petat.

Epigr. 1
Lectum miraris vadam, quod ſæpe petitum
Veſpere, mollities hæc quaſi noſtra foret.
Carceris at poſsim num lecto imponere nomen,
In quo non jaceo, ſtans operor ſed vbi?

AD CHARISSIMVM AMICVM D. FELICIANVM de Piſa & Carvi, quem preſſerat ante, vt promiſſa opera, quæ aliena putabat, ederet, & quem nouiſsimè vrget vt ea jam ſua edere velit.

Epigr. 2
Vt tua ſcripta dares, me ad te ſcripſiſſe recordor;
Aſt aliena modo (quæ tua) credideram.
Sic Epigramma habuit noſtrum ſine pondere pondus;
Cumque lepore fuit, gratia nulla fere.
Plura tamen (memini) illo in tum veriſsima dixi,
Scripta tibi licet hæc, non tua jure vocans.
Vt promiſſa ſemel tua enim non jure vocaris,
Noſtra quidem vocites, quæ dare debueras.
Aut tua ſi vis ſint, tandem quodcumque fatebor,
Sint tua perpetuò, ſint modo noſtra citò.

COMPARATIO NOVISSIMA.

Epigr. 3
Carminibus noſtris cauſam perſæpe cupiui,
Cauſa volenti etenim non venit vſque juvans.
Optabas quoque tu ſcribendi oſtendere cauſam,
Nulla placens genio tunc aderatque tuo.
Argumenta tamen nobis inventa fuere,
Sic ferrum igniferum, ſic & acuta ſilex,
Non ignem pariunt, ſaltem perſæpe ſeorſim;
Producunt at eum, ſe feriunt vt ea,

QVALIA DEBEANT ESSE QVÆVIS SCRIPTA.

Diſtinctè, & clarè ſcribat, qui carmina ſcribit, *Epigr.*
Effectus cauſas namque referre ſolent. 4
Scriptaque ſic fuerint, ſi obſcurave carmina cuivis,
Obſcuram mentem quilibet eſſe putet.
Scripta patent cunctis, vt ſint & cognita cuique,
Scripta Sybillarum condita ſintque modo.
Sint obſcura ſimul, quæ ſint Oracula tantum;
Clara micent verùm, talia quæ eſſe decet.

IN ALIQVEM, QVEM MVNIFICVM *crediderat.*

Non ſatis expenſis oculis, quæ cernere poſſem, *Epigr.*
Te quondam potui credere munificum. 5
Vanuit at breviter ſpecies, quæ luſerat olim,
Nilque diu ſteterit, quod manet arte modo.

IN AVTHOREM RESCRIPTI CVJVSDAM, *quod ſcriptum non vidiſſet, nec Typis datum fuiſſet.*

Scriptis reſcriptum eſſe meis, plures retulerunt; *Epigr.*
At reſcripta tamen reddita non mihi ſunt. 6
Pauci legerunt ſcripta, at non pauca fuere:
(Sint modo plura, ſolent pluribus eſſe ſatis.)
Nec reſcripta Typis dederit, qui ſcripſerit illa,
Reſcriptis replicem non cupit, ille timet.

SCIRE, ET SAPERE NON IDEM ESSE, INNVIT.

Non quicumque ſapit, tibi doctus & inde putetur: *Epigr.*
Doctus & hic ſapiens non habeatur vti. 7
Doctus vt eſſe poteſt quiuis qui non ſapit ille:
Ignarus ſapiens ſic valet eſſe quoque.

IN ALIQVEM RIDICVLE SVPERBIENTEM.

Quid ſis, quidve rearis, dic, aut quid cupis eſſe? *Epigr.*
Tantus vt inde putes debitus vt ſit honor. 8
Quod cupis ipſe fores licet, haud tamen inde ſuperbum
Tantum te deceat, ſomnia ſed minus ob.
Ecce nihil cum ſis homini jam cognitus omni,
Quem ſperas cultum? Quod decus inde tibi?

IN ALIQVEM MALE RESCRIBENTEM.

Epigr. 9 Reſcribens ſcriptis, male non mihi conſulis, ipſe
Sed tibi, viſus vt es dicere falſa modò.
Sunt reſcripti etenim, quædam ſi vera fuère,
Congrua (par nec vt eſt) apta nec vlla ſatis.

AD EVNDEM.

Epigr. 10 Scriptis ipſe meis nuſquam te fecero notum,
Feceris & notum te ſed vbique tuis.
Nomine Romani, quod enim falſo aſſumis illo,
Quis verè ſit herus prodis & ipſe ſatis.
Innuis aut ſaltem, niſi ſit, quem tu cupis eſſe,
Veraque mentito nomine prodis eo.
Vulpis & aſſumpta ſpecie ſub pelle leonis,
Quin fallas ſpecie, detegis eſſe quod es.

IN VETVLVM SOLVM, ET LABORIOSE *incedentem.*

Epigr. 11 Tu pedibus fidis, tibi vix qui fidere poſsint,
Quolibet & greſſu cum gradiendo cadis.
Proximus an morti annorum jam pondere preſſus,
Caſum præuenias caſibus ipſe tuis?
Ne mortem quæras & tot cum vixeris annos,
Qui pauci maneant, hos patienter age.

GERMANI INSIDIOSE CREMONAM INGRESSI *à Gallis pulſi, victi, penituſque deleti.*

Epigr. 12 Si non cauta manus cautos protriuerit hoſtes,
Hoſque foris pepulit, diruit atque ferè:
Quid, ſi poſsit eos invadere viribus æquis,
Nec prius vt, dederit proditor auxilium?

IN QVORVNDAM FAMVLORVM HERVM *valde avarum.*

Epigr. 13 Forte duo fuerant ibam quà prætereuntes,
Quique forent renui dicere, dumque rogant.
Sunt ne Auli? Referunt, ſunt, aſt æquius illis,
Quam ſint cujus ſunt, hos foret eſſe ſuos.
Diues an eſt dominus? non illo ditior vllus:
Cur ergo? Haud illo vilior vllus erit.

DISTRIBVTIO POTENTISSIMÆ REGINÆ nostræ ætatis in ternas classes, definitio à Celsissima Principi fœmina D. ab Vrsino acutè inuenta, prudentèrque allata.

Quinque ter, vt referunt, tibi quatuor, atque decem bis Epigr. 14
Sunt anni, fit at hoc quomodo, nunc referam.
Cum paribus similes, mediis cum, quatuor & sunt,
Bisque decem, denos cum senibus ter agis.
Naturæ majus portentum non fuit vnquam,
Cum tibi sint anni quatuor, atque decem.

IN MARCVM MENDACEM, SED MEMORIA carentem.

Mentiris multum, nec te mendacior vllus; Epigr. 15
Munere sed fungens, fungeris vsque malè.
Qui funguntur eo, præstat nam cuncta tenere;
Sed præsentia tu nulla tenere vales.
Nil referat, teneas quod non mendacia, Marce,
Qui te norit enim, jam tua cuncta tenet.

IN IDEM FERE ARGVMENTVM, AD NOBILEM Fœminam, quæ olim obtulerat Authori, se per diem integrum in mendacia ejusdem loquuturam.

Nobilis obtulerat Marci mentita referre, Epigr. 16
Integra queisque dies vix satis vna foret.
Ore tuo (dixi) gratè audiremque libentèr,
Si quæ vera soles, dixeris illa mihi.
Absit at vt Marci nobis mendacia dicas,
Recta referre modo, veraque docta loqui.

QVALES SE GERERE TENEANTVR POPVLI erga Reges.

Convenit haud Populis leges imponere Regi, Epigr. 17
Factum crimen & est, & voluisse modo.
Impetrent precibus tantùm, moremque gerendo,
Curaque prima sit his, non temerare fidem.
Audaces vnquam mereant nec crimine pœnas,
Officiis quærant præmia semper ei.

NECESSITATEM MORIENDI FATETVR, *sed horret*.

Epigr. 18 Deficiant vires, non miror quodque ſeneſcam,
Omniaque hæc video, limina mortis vti.
Cum natus fuerim, mihi ſic & præſtat obire:
Res non mira quidem, ſed mihi dura tamen.
Faſſus vt es (dices) at ſunt hæc limina mortis:
Sic eſt, at vellem tardius ingredier.

AD ELIZABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

Epigr. 19 Horrueram primò, prius at quam nota fuiſſes,
Hiſtoriâ lectâ, mens mihi verſa fuit.
Quas animi dotes videant in pluribus, in te
Solâ namque datum ſit celebrare mihi.
Par Regno ingenium, Regnis & pluribus, eſſet;
Te luſtraſſe oculis gratius hocce nihil.

IN SANGVINEM INNVMERORVM *crudelitèr effuſum in Angliæ Regnis.*

Epigr. 20 Quod non veſtra manent veſtro Regna hauſta cruore,
Admiror penitus, jureque miror ego.
Quis ſtragum numerans numerum, non horreat illas,
Inveniantur vix cum tot in Orbe ferè?
Mira tamen nulli res hæc tum viſa ſit iſta,
Eſſe feraſque ferè, ſi ſciat eſſe viros.

INIQVAM ETIAM POST FATA SORTEM *aſſeuerat.*

Epigr. 21 Adverſam ſortem vincant vt cuncta patrare
Noſtram conatur quiſquis amicus vt eſt.
Contendit vires incaſſum quilibet autem,
Sors mihi (non dubito) dura ſuperſtes erit.

EX NOVO LABORE REQVIEM SE PERCIPERE, *innuit.*

Epigr. 22 Aſiduo an laſſer ſtudio perſæpe requiris,
Et meritò, requies nam mihi nulla ferè.
At quoties operam videor nauare labori,
Otior hinc toties, eſt requieſque labor.

PROBATIO HUJUS ARGUMENTI.

Est menti gustus, gustum scimusque palato, *Epigr.*
  Sunt & vtrique dapes, queis recreentur ei. 23
Hujus, & vt noua edulia nam fastidia tollunt,
  Præteritum reficit sic novus vsque labor.

AD NOBILEM AMICUM.

Dum totis animis, totis dum viribus opto *Epigr.*
  Visere te, renuis sæpe rogata mihi. 24
Innuis atque simul magnum te ferre dolorem;
  Quod dare tu nequeas, quæque cupita cupis.
Largiri nequeas, quod nunquam te oro, doleto:
  Quod non accipias, quæso, doleto modò.

QUOD SINGULIS NOCTIBUS E SOMNO
intempestiuè suscitaretur. *Epigr.*

Suscitere è somno cur hora semper eàdem, 25
  Cum nec cura premit, nec dolor vllus adest?
Somni curque rogo nostri sic rumpitur ordo,
  Et dormire volens, invigilare premor.
Dum corpus requiem quærit, mens nostra laborem;
  Quod natura petit, prouida Musa negat.
Consulit hæc famæ, sed prospicit illa saluti,
  Gratior hæc genio, ast vtilis illa magis.

AD ELIZABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

Tot regnasse quidem miror, Regina, per annos
  Te, sed obire magis, miror, & obstupeo. *Epigr.*
Vana satis (dixti) vixi dum Regna tenebam, 26
  Nunc humilem finito me rogo, amice, mori.
Sanctius an moriens posses, Regina, referre
  Quid, tibi vera fides, si pietasque foret?

EPIGRAMMA EQUIVOCUM.

Præsens, nulla, potens concessit plura petenti, *Epigr.*
  Absens atque mihi plurima damna tulit. 27
Illum plura tamen mihi tempore spero daturum;
  Quam viuis abeam, si prius ille dabit.

***   ***   ***

SIBI GALLI CANTVM JVCVNDIOREM INNVIT, *præ avium cantu, & cur.*

Epigr. 28 Alliciunt aures blandæ ſat, aueſqúe canoræ;
At Gallus cantans, allicit vſque magis.
Otia mollitie cantus, tantúmque ſoporem
Illæ conciliant, hic vigilare docet.

EPIGRAMMA JOCOSVM.

Epigr. 29 Spem mihi das hodie, das & te craſque daturum;
Sed cras, nec manè, ſpes data grata venit.
Sic tibi, ſicque mihi, differs dum, conſulis vſque;
Gratia tardior hinc, ſed magis hincque recens.

SE OB MORTVAM SPEM PVLLATVM *incedere dicit.*

Epigr. 30 Pullatus videar dum cur incedere quærunt,
Languida ſpes, refero, mortua noſtra jacet.
Dum fuit ægra modò, potui ſimulare dolorem,
Me ſimul, vt cecidit, luctus, & inde ſubit.

SE LVDERE INNVIT, VT MAGIS LVDVM HORREAT.

Epigr. 31 Interdum ludo, ſed non quod ludere læter;
Sit magis aſt odio luſus vt inde mihi.
Cauſis namque malis expenſis omnibus æquè,
Præ quauis aliâ, viſa ſit iſta nocens.

QVI NIMIIS LAVDIBVS CONTENTVM *ſe oſtendit, his indignus eſt.*

Epigr. 32 Qui laudes nimias recipit meritos nec honores,
His inhiare docet, ſe fatuumque probat.
Laudibus eſt inhians, nam diuitiarum vt avari,
Quo magis has cupiunt, hi minus inde merent.

IN EOS, QVI NOMINIBVS FICTIS VITIA SVA *increpari non cognoſcunt.*

Epigr. 33 Exultant plures, damnant hos dumque laceſſunt,
Dicier atque aliis, quæ ſibi cuncta putant.
Criminis atque ſui inſimulati nomine ficto,
Aut lugent alios, ludere ſiue ſolent.

Sic

Sic vitio cœci, pœnam, culpamque refellunt,
Lugendi hique ſimul, ſunt duplicique modo.

IN EOS, QVI CREDITORES EXPECTARE SINVNT, & tandem vacuos dimittunt.

Expectare ſinis, queis ſolvere debita poſsis, Epigr. 34
Dupliciterque erras, dixero queiſque modis.
Auro cum facias tempus pretioſius omni
Perdere, nec dederis, quæ tenearis ea;
Quodque moras triſtes peccant, ægrèque ferentes,
Peccas ipſe ſimul, primaque cauſa mali es.

SE QVONDAM FELICEM ESSE INNVIT, QVOD Saltem quibuſdam commoda curare poſſet.

Felix ſaltem aliis, dum quærere commoda poſſem, Epigr. 35
Parte meæ ſortis lætus, Amice, fui.
Aſt vlli poſsim nunc, cum non vtilis eſſe,
Infelix duplò, jureque dicar ego.

AD CISCAM EXIMIVM IN BOHEMIA DVCEM.

Lugeo, Ciſca, tuam dum mentem erroribus actam, Epigr. 36
Exhibet ars equidem plurima verba mihi.
At numerare tuos, vel ſi celebrare triumphos
Optem, nulla tibi tunc ſatis apta puto.
Dux etenim fuerit quis viſus tempore priſco,
Cocles, cœcus vti, vincere & exanimis?

QVID CONTINGAT LEGES SPERNENTI, quid piè, & ſanctè viuenti.

Et decus, & leges, cœcus qui ſpreverit omnes, Epigr. 37
Jure poteſt viuens dicier hiſce mori.
At juſtè, atque piè, longum qui duxerit ævum,
Dicier hic moriens viuere, jure poteſt.
Chartæ, & quem plectunt ſacræ famæque libelli,
Dicito obiſſe ſemel, perpetuòque mori.

AD AMICVM, QVEM ANXIE EXPECTABAT.

Horà jam ſolità, maneo te, lætus, Amice, Epigr. 38
Oſtia quique feris, te ſubitò eſſe reor.

Haud

Haud leuis eſt equidem dilectum pœna manere,
Lætitia haud minor eſt huncque videre quoque:
Tædia ſæpe ferunt ſolita haud optata venire,
Et plus delicii, quæ cupiuntur, habent.

AD EVNDEM.

Epigr. 39 Quid ſibi, dic, velit hoc, cur non accedis, Amice?
Quis teneat greſſus, nectit, & haſce moras?
Ne indicas horam, cures ni promptus adire,
Hora mihi pœnam, ſic data certa facit.

QVÆSTIO PROBLEMATICA.

Epigr. 40 Torquent, & perimunt ſæui, magnique dolores,
Et minimi cruciant, ſi ſteterintque diù.
E viuis, at vtrum melius decedere quæſo,
An tolerando magis, num tolerando diù?

Epigr. 41 *QVI PRECIBVS GRATIAM EMIT, EAM SOLVIT.*

Gratia nulla placet, multum quæſita precando,
Sed placet illa magis, quæque petita minus.
Cui dare ſic reputas, precibus tibi ſolvere credit,
Das & vbi hiſce modis, accipit emptor vti.

QVIS MODVS IN PROMISSIS PECCANDI, & non peccandi.

Epigr. 42 Si cui verba dediſti, ſpe non decipiendi,
Standi pollicitis, certa fideſque fuit:
Tum poſsit tua damnari imprudentia tantùm,
Incertus, dubium quod tamen innueris.
Verùm conſultò ſi tu deceperis illum,
Bis peccas equidem, bis reus hinc & eris.

IN NEBVLONEM, SE AD MELIORES MORES confugiſſe ſimulantem.

Epigr. 43 Principio prauos hauſiſti ex indole mores,
Arte modò auxilium non renuente tibi.
Te ſed credideram, pro dictis, Aule, ſequutum,
Quas licuitque vias, debueraſque ſequi.
Agnoui verùm, dicit quod noſter Aquinas,
Te ſimilemque videns, cui fueraſque prius.

Ad

Ad pravos mores ſemper natura recurrit.
Sic tu præſtiteris, ſic Iuvenalis ait.

IN DOLOSVM LVSOREM.

Aſtutus luſor, luſu ſed fallere doctus, *Epigr.*
Nummos mille duo perdidi, Amice, refert. 44
Et meritò, hos lucrari etenim deſiuerat ille,
Perdere namque potis, ludere noluerat.

IN CONSILIARIVM MENDACEM, QVOLIBET mendaci mendaciorem.

Conſiliarius es, tanto non munere dignus, *Epigr.*
Si tibi præſtiterit dicere vera modò.
Fingere ſed tibi, ſi præſtat mendacia tantùm, 45
Conſulis haud, poteris Præſidis eſſe loco.

IN VANVM ET MALEDICVM SCRIPTOREM.

Verbis vſque tuis, poſsis tu fallere multos, *Epigr.*
Qui non me norint, cognitus haud quibus es. 46
Crediderint qualem ſemper me fixeris illis,
Crediderint talem te quoque fixeris vt.
Aſt operis tandem noſtris jam notus vterque,
Effictus qualis, tempore neuter erit.

IN ALIQVEM, QVI PEDES AVTHOREM ſalutaret, rheda vectus, eum non agnoſceret.

Tu pedes occurrens mihi, me ſemperque ſalutas, *Epigr.*
Rheda vectus vt es, noſcere meque negas. 47
Vt pedes es comis multo venerandus honore,
Rheda & inurbanus deſpiciendus vt es.
Tu pedes incedas, ſemper, ſi quæris amari,
Aut vectus rheda, comiter ante vt age.

AVTHOR AD FAMVLVM DICERE SOLITVM ad quæcumque præcepta, audivi.

Præcipio facias dum, quæ facienda videntur, *Epigr.*
Audiuiſſe refers, nec facienda facis. 48
Præceptis morem illicò ſi non geſſeris vſque,
Audiuiſſe nega, gratius hoc & erit.

*** *** ***

AD AMICVM, QVEM SÆPE INVISVRVS, *domi non inveniebat.*

Epigr. 49
Plura datum tibi, non abs te scis, vlla petitum,
Te visurus eo, nec tamen invenio.
Iussu, credo, tuo dicunt sed te foris esse,
Ergo petituro, tunc abiisse ferent.

IN ALIQVEM, QVI QVEM VIVVM *laudaverat, functum probris laceravit.*

Epigr. 50
Laudabas vivum, quem functum postea ludis,
Juraque amicitiæ sic temerare potes?
Sicque fidem prodis, necnon te, prodere quosque;
Instruis hinc alios artibus ipse malis.
Postea, quæso, tuo prudens quis fidat amori?
Quis non diffidat laudibus inde tuis?

AD PRINCIPEM, CVI SE MOLESTVM *agnosceret quotiescumque aliquid petebat.*

Epigr. 51
Abs te cum peto, tunc, Princeps, tibi fio molestus:
Credito sed mihi, tum me fierique magis.
Quis modus at fuerit, quo non hoc fiat vtrique?
Fac quod ego, Princeps, da mihi, crede, libens.

AD ALIQVEM, QVI DOTES AVARI PRÆDICABAT.

Epigr. 52
Laudibus extollis Glaucum, sed dicis avarum,
Sic bona quæque refers, tu bona cuncta negas.
Esse etenim dubites ne, si quis posit avarus,
Vllis præclarus dotibus esse nequit.

EPIGRAMMA SATYRICVM IN RVFVM *amentem.*

Epigr. 53
Quis premeret Rufum morbus? cum Sylla rogaret,
Dicere tum renuit, lædere Cynna timens,
Sylla sed instar vti, Rufi cognoscere labem,
Se, reteget, Christi nomine signet vbi.

IN IDEM ARGVMENTVM.

Epigr. 54
Dicito, Cinna, mihi quæso vnde dolentia Rufi?
Cumque referre timet, dicere Cinna negat.

Sylla premit. Tum Cinna refert: Non dixero ſane,
Signo ſed Chriſti dixerit ipſe malum.

IN REBVS FAVSTIS, VT PLVRIMVM, HOMO deſipit, ſapit in adverſis.

Ambitio cæcos ſoleat quam reddere plures! Epigr.
Felices pauci quam meminere ſui! 55.
Infelix homo res fauſtas, qui deſipit inter,
Quique ſit vt ſapiens, indiget ille malis.

EX PIETATE DEI, SALVTEQVE SVA, ſuorum ſalutem pendere innuit.

Noctem, nec fallor, memini, me egiſſe quietam, Epigr.
Vincere quem nequeo cur ſopor ergo novus? 56
Non labor immanis manifeſtat egere quiete?
En quid. Noſtra reor claudicat alma ſalus.
Stet, niſi namque Deus (cadit vt) firmauerit illam;
Spes tum nulla meis, tota domuſque ruet.

AD AVARVM, NEC SOLVENDI CVPIDVM.

Vis mala lugeri tua, vis quoque pauper haberi,
Quod non argentum, ſiue pecunia ſit. Epigr.
Aurea vaſa tibi ſunt; aut argentea ſaltem, 57.
Talibus inſtructus, pauper an eſſe potes?
Quod vendas, an habes, tibi dic clementia dum ſit?
Cætera non deſunt, deficit hæcce modo.

SILENTIVM NON SEMPER ASSENSVS SIGNVM.

Excuſas mihi te, ſileo, crediſque probare,
Nomine conſenſus namque tacere vocas. Epigr.
Credito, ſed poſſunt interdum fallere ſigna, 58
Dumque probare putas, damnat & vſque tacet.

IN FATVVM SVPERBIENTEM, SEQVE ACVMINE ingenij valere credentem.

Neſcio num capias mente, aut ſi cœperis olim, Epigr.
Mente quidem captum te ſcio, pluſque ſatis.
Tu tamen hocce negas, credas & mente valere. 59
Quo magis hocque putas, hoc ego credo minus.

*** *** ***

REGVM CONDITIO CVNCTIS DIRIOR.

Epigr. 60 Conditio Regum cunctis præ dirior illa,
Queis datur in libris, discere vera modo.
Quique sciunt illam rarò cum volvere libros,
Illis eveniat, luminis vnde parum.

IN COMETAM, SEV VAPOREM, QVI PER aliquot dies visus est.

Epigr. 61 Vidi, sed risi, fuerit quod causa stuporis,
Contemptusque mihi, pluribus vnde timor.
Horruit at meritò quis nomine quæso Cometæ,
Qui vapor fuerat, lucis, & vmbra levis?
Sed demus certum, verumque fuisse Cometam,
Quid damni terris fluxerit inde, rogo?
At mala post illos visos tum visa fuisse
Plura refers, bona sed dixero visa quoque.
Si tibi credamus, fuerint hi signa malorum:
Si credas alijs, sint modo signa boni.
Pluribus (vt credo) si tandem neutra videntur,
Esse boni, esse mali, duxeris esse nihil.

IN ALIQVEM NIMIS MEDICORVM societate gaudentem.

Epigr. 62 Et gaudes Medicis, hæres consortibus illis,
Atque videris eis, tuque fauere modo.
Pendeat atque tuam ex his si seruare salutem,
Vt lucrum maneat, fulcra salutis erunt.
Consule sed noceant tibi, num medicamina prosint,
Vt prosis medicis, ne tibi damna feras.

IN AVARVM, QVI PRÆ METV NVMMOS perdendi, è viuis cessit.

Epigr. 63 Æger, eratque senex, verùm qui viuere posset,
Si (præstabat vti) scisset habere modos.
Perdendi at nummos magno, diroque timore,
Dum premitur, vitam perdidit, hosque simul.
Æger pauperior plures vixisset in annos,
Ditior & juvenis mortuus ante foret.

*** *** ***

AD NOVVM COMITEM INVRBANVM.

Vt Comes es factus, comis tu omiseris esse, *Epigr. 64*
Quam lucratus eris, perdiderisque magis.
Si cupis esse Comes, nec vis odiosus haberi,
En sequitor nostrum, te rogo, consilium.
Legibus & spretis Comitum, hoc seruare memento,
Fac modo tu posis comis, vt esse Comes.

AVTHOREM PVDET AB ALIQVO PETIISSE, quem pudere æquius erat.

Te mihi pollicitum te oblitum credo fuisse, *Epigr. 65*
Nam quin te pudeat, tu memor esse nequis.
Sed cur forte roges? Tibi sic paucisque reponam;
Abs te, crede mihi, me petiisse pudet.
Et potiore quidem, fallor ni, jure rubescas,
Polliciti esse memor, nec meminisse dati.

IN INFIDVM, IMPRVDENTEMQVE Virum.

Te video quoties, timeo, semperque rubesco, *Epigr. 66*
Exprobratque tibi nam faciesque mea.
Sed nec probra times, tanquam præcordia nulla
Essent, nec facies horrida nostra patet.
Cur ergo timeam mala, quæ patraueris ipse?
Cur ergo rubeam, quod tua noxa fuit?
Est pietas nobis, facies est apta rubori,
(Vidimus vtque satis) res tibi neutra fuit.

AD SPEM, QVAM TOTIES DELVSAM AGNOSCAT, & queratur, & à qua sit ipse delusus, Dialogus inter Authorem, & Spem.

Auct. Spes mea, quæso semel justè, rectèque loquamur, *Epigr. 67*
Et questus nostros tu patienter habe.
Æqui ni fuerint, illis replicare licebit,
Si verùm fuerint, luseris ipsa satis.
Decipito plures, qui viuere posit in annos,
Et juvenis valeat fidere sæpe tibi.
At mihi jam vetulo cur quæso illudere verbis?
(Quam justè doleam conscia cum bene sis)

Omnis homo mendax, dictum non cuilibet vsque
Credam, sed soli credidero ipse mihi.
Dicere qui solitus verum sit fortè per æuum,
Mentiri cupiit luderet vt modo me.
Spes. Vera quidem, sed quid dic contra me arguis inde?
Vt levius ferres vtile præstitero.
Rebus in adversis quid, ni solatia quæso
Nostra forent? Ruerit fabrica sæpe tua.
Auct. Ergo velis grates quod me deceperis vsque?
Spes. Sane. *Auct*. Ridiculum. Non ego sed dedero.
Spes. Sic igitur sociam me tandem mittis, amice?
Auct. Mitto & amicos sic, mitto fidemque suam.
Mitto, cum possunt, qui nunquam posse fatentur,
Et dare cum nolint, qui dare posse, negant.
Rideo sic laruas fallaces fœderis vmbras,
Rideo verba quidem, rideo pollicita.

QVOMODO SERVANDI SINT AMICI.

Epigr. 68
Qua ratione rogas semper servabis amicos?
His paucis referam, dilige par vt erit.
Quæ posſis, facito, tibi queis devinxeris illos,
Nec dare quam posſint, credito plura pete.

MEDICVS IN QVÆRENDO DOCTVS ETIAM ægro ex filio quæstum ducens.

Epigr. 69
Dum Medicum quidam laudat clarisſimus Heros,
Quærendique modos laudat, & artis opem.
Vt videatis, ait, quantum sit quærere doctus,
Est etiam lucro filius æger ei.

SODALIS VERE, QVI PRO TALI ELIGITVR.

Epigr. 70
Quem comitem dederit nobis electio tantum,
Hoc equidem grato nomine dignus erit.
Quem sors sed dederit, ratio aut quæque altera nobis,
Dicatur merito non comes ille mihi.
Sic comitatus eo, qui nobis hæret inanis,
Ne talis reputer, tunc ego solus ago.

IN ALIQVEM INTER LOQVENDVM SEMPER *subridentem.*

Democritus memini ridebat quæque videret, Epigr.
Cur modo ſubrides omnia quæque refers? 71.
Æquius en vellem tractares te, & tua, Paule,
Nec tibi ſubriſus, riſus at vſque foret.
Plura referre ſoles etiam cum digna cachinno;
Par & vt eſt ride, perpetuòve tace.

QVÆ CONVENIANT OPTIMO ORATORI.

Clarus ſiſque breuis, ſi vis Orator haberi, Epigr.
Actio congrua ſit, voxque ſonora tibi. 72
Longa nimis fugias quæcumque exordia tandem;
Hæc tibi ſi fuerint, defore crede nihil.

AD AMICVM.

Author vt es mihi perpetuò, ſemperque laborem; Epigr.
Obſequor ecce tibi, conſiliumque ſequor. 73.
Sic defeſſus enim longo, magnoque labore,
Linquere non placet hunc, ne tibi diſpliceam.
At faxit Deus, vt tandem ſic Muſa placere
Noſtra queat cunctis, vt tibi, Amice, placet.

IN ALIQVEM, QVI VAGIS OCVLIS VNDIQVE *aſpicit.*

Vt mens, ſunt oculi ſemper quocumque vagantes, Epigr.
Quam mens nec certa fuerit, certa magiſque fides. 74
Namque in eo motus oculorum cuncta ſequuntur,
Ipſius aut motus lumina ſigna putes.
Vnus erit tantum, quem talem videris eſſe,
Nomine qui tacito, ſic tibi notus erit.

AD AVEM, QVÆ POST MVTATIONEM, *canora, flebili, debiliorique voce canebat.*

Cura ſalutis auis fuerit, vociſque canoræ, Epigr.
Mos erat iſte mihi quærere ſæpe ab hero. 75
Spem dabat ille cito certæ, promptæque ſalutis,
Exque ſalute modo, ſpes quoque vocis erat.

Reſtaurata ſalus fuit, at vox non fuit vna,
Dulcis vt ante quidem, non at vt ante modi.
Morbi ſigna manent, magni præſagia luctus,
Lugubreſque ſonos, cygnus vt ore canis.
Sunt teneri cantus ſæua præludia mortis,
Quam præſaga manet languida vita fere.
Inſtar auis reputa ſic me cantare receſſum,
Sic triſtes cantus, flebile ſicque melos.
Forſitan at dices, totis me viribus vti,
Exauſtas penitus nunc, Auis, eſſe tuas.
Vt vobis homini cuique eſt mutatio noſtri,
Et facile vitam demere prima poteſt.
Auis. Aſt nobis auibus paucis dilabitur annis,
Lux, & vita perit tempore noſtra breui.
Auct. Dicito blandula Auis, centum ſi vixerit annos
Vir, tandem quid erit, mors niſi prompta minus?

AD AMICOS, QVI CVM AVTHOREM conuiuam habuiſſent per cœnam, inter ſe rixati ſunt.

Epigr. 76 Non placuit nobis hæc compotatio veſtra,
Cum viſi ſitis belligerare mihi.
Vos me ad pocula numquid, vos me ad bella vocaſtis?
Rixari, rogito, cœnane, pugnave ſit?
Num Marti, Baccho num ſacrificare paratis?
Purane vina placent? an cruor oro placet?

AD HERVM PLVRA AB IGNARO FAMVLO rogantem.

Epigr. 77 Ignarum rogitans, ex illo plura requiris,
Qui nec, ſi cupiet, pandere poſsit ea.
Talia ſed quærens, vel ſic irriſeris illum,
Te ignarumve puto, riſeris ipſe modo.

IN GALLVM SEMPER FALLACEM.

Epigr. 78 Annis à teneris, fueris cum fallere doctus,
Contractos habitus perdere, Galle, nequis.
Tu decoris fruſtra conaris ſumere larvam,
Virtutem fictam detegis vſque dolo.
Fraudibus inque tuis, ſi quot conſumpſeris annos,
Tot juſtis operis nunc adhibere pares.

Tu

Tu non, Galle, queas meliorem texere vitam,
Perpetuo fallax, tuque dolosus eris.

SE CVRIS, ET ANNIS CONFECTVM, NOLLE fortunæ vota facere.

Curis continuis multis confectus, & annis, Epigr. 79
Non fortuna tibi sacrificare velim.
Curta etenim nostræ desunt, quæ tempora vitæ,
Cernis vt (improba sors) non mea vota merent.
Te sine nam potui longam si ducere vitam,
Haud obitum sine te præstoler anne brevem?

EXCVSATIO PEJOR CVLPA.

De me te questum dicunt, quod dixero, Celse, Epigr. 80
Te ignarum valde, ridiculumque magis.
Fudero, crede mihi, nunquam non vtile verbum,
Quod cunctis pateat dicere nunquid opus?

IN ALIQVEM SEDENTEM, SOLITVM PEDIBVS pulsare lectum.


Quæso sedens lectum prope non pulsare memento, Epigr. 81
Ianua non etenim, lectus, amice, sed est.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Tu facturus eras (spargunt vt) plurima viuens, Epigr. 82
Plura quidem moriens feceris ipse tamen.
Magna licet posses viuens fecisse per orbem,
Tu majora tua morte patrare scies.

IN MEDICVM CRASSVM, VOCEQVE strepentem.

Voce tenus Doctor fuerit, qui nos docet ille, Epigr. 83
Nomine vel saltem, quò vocitare solent.
Tollito sed faciem, strepitum quoque cætera tolle,
Tollito materiam, postea nulla manent.
Ægro tum prosunt quæso quid cuncta medenti?
Huic soli prosint, æger at inde perit.

SE

SE NON TANTVM ASSIDVIS, SED ALIQVANDO
sæuis doloribus premi.

Epigr. 84
Continuos tantum sæuos non esse dolores,
Dicebam primum, nunc modus alter inest;
Interdum sæui vt, soliti sunt esse perennes,
Quod, si forte diù, continuare nequit.

IN AVLVM, QVI HORA VNDECIMA NOCTIS
se precatum felicem noctem venire dicebat.

Epigr. 85
Tu faustam nobis noctem venisse precatum,
Dicis; at hora fuit, quæ gravis ipsa foret,
Qua ratione queas nobis optata creare,
Dicam, si venies nocte, nec, Aule, die.

AD EVNDEM, QVOD SIBI NON INVICEM
placerent ambo.

Epigr. 86
Ingratus tibi sum, quod tu non sis mihi gratus,
Quod sumus absimiles, hinc fit vtrumque modo.
Conveniat nobis, fac tantùm, si potes, Aule,
Tunc mihi gratus eris, tum tibi gratus ero.

EX TEMPORVM INTEMPERIE EPIGRAMMA
Mysticum.

Epigr. 87
An rigidæ redeunt ad nos jam tempora Brumæ,
Æstatisve loco frigida regnat hyems?
Paucos ante dies adflabant oribus Auræ
Molliculæ, & quales pars tenet occidua.
Ast gelidus Boreas nunc flatibus omnia tentat,
Quæque tepens fuerat, frigore terra riget.
Ne mirum nobis, Mundi quod vertitur ordo,
Non hic nos vitiat, sed vitiamus eum.
Nos damus exempla, haud nobis elementa dedere,
Vsurpare homines munera namque prius.
Angelus anne Deus cupiit quondam esse superbus?
Esse Deo similis nonne volebat Adam?

QVI DIGNI SINT HONORE.

Epigr. 88
Sunt homines quidam dubio non jure colendi,
Sunt & qui cupiunt his habeatur honor.

Qui

Qui minus ille coli cupit, eſt magis ille colendus,
Qui magis optat vt, eſt dignus honore minus.

IMMINENTEM VITÆ FINEM LVGET.

Quæque dies minuit vires, noſtramque ſalutem, *Epigr. 89*
Vltima noſtra dies donec & adveniat.
Lumine quo que nouo leuis haud afflictio nobis,
At nullum nobis, auxiliive parum.
Hoſtes ſunt rigidi, quorum nil viribus obſtat,
Mœror & hinc animi, corporis atque dolor.

SATYRA IN IGNAROS.

Quid faciam, quæris? Dicam, ſi noſcere curas, *Epigr. 90*
Eſt dediſcere mens, diſcere quæque fuit.
Cur, aïs? En referam, eſſe volo jam ſorte beatus,
Ignarus tantum conſequar hocce modo.

IN IGNARVM MENDOSE EMENDANTEM.

Quæ ſatis haud calles, tamen hæc tu corrigis vſque, *Epigr. 91*
Sed ſecus ac reputas euenit ecce tibi.
Quæ mendis purgas, ſoleas his cuncta replere,
Quæ tu recta putes, plena ſcatent vitijs.
Si pueros nutris, vt ſcis purgare libellos,
Inter eos nullus non vitioſus erit.

IN AMICVM SCRIBERE RECVSANTEM, ſed non in bibendo tardum.

Quod non ſit Paulo, caris quod mittat amicis, *Epigr. 92*
Non horum meminit, ſcripſerit ille nec his.
Ingratamque vocans, ſolam, nudamque ſalutem,
Nullam mittit ad hos, nec bene habere jubet.
Pro ſcriptis verùm, ſi mittere pocula mos ſit,
Promptior haud veniat, quam ſua nulla ſalus.
Scriptorem juſtum nunquam ſe venditat vlli,
At nullus melior potor amicus erit.

SE NOLLE PROMISSA MEMORARE, ne lædat, qui promiſerit.

Cur promiſſa mihi memorem tua munera quæſo? *Epigr. 93*
Non oblitus eris, ſed meminiſſe pudet.

Si memor ipſe tui vinclis te exolvere juſtis,
Mens tibi certa foret, vincula nulla forent.
At fruſtra ſpretis promiſsis, omnia tentem,
Quo magis hæc memorem, læſero credo magis.

IN EBRIVM CAVPONEM.

Epigr. 94 Venderet vt vinum Marcus, quod fortè nequiret,
Patroni venia ni licuiſſet ei.
Ex illo veniam ſummiſſa voce rogauit,
Conceſſumque fuit vendere poſſet vt is.
Tantus odor vini ejus ſed manauerit ore,
Uter vt ipſe loquens tunc habitus mihi ſit.

QVOD SIT FIRMA SALVS, SE EAM SPERNERE dicit.

Epigr. 95. Eſt mihi firma ſalus, quali non vtitur alter,
Et qualem cupiam, ſi cupienda foret.
Theſaurum reputet certè, illam ſi quis habebit,
Perpetuò ſed eam ſpernere viſus ero.
Sprevero ſed quare, ſemel hæc eſt perdita nobis,
Sæpius aſt vt erit, tunc pretioſa magis.

FOEMINÆ ADMODVM PAVCÆ, QVÆ pulchræ ſint.

Epigr. 96 Quam paucæ meritò notæ ſub nomine pulchræ,
Queis ſpecies fuerit, formave digna coli!
Inter & indutas quamplures veſte ſuperba,
Innumeræ Furiæ, nec tamen vlla Venus.
Aſt hominem Cynici exemplo non quæro per Vrbem;
Pulchra quidem ſpecies quæritur vna modo.

INCVSAT PRINCIPEM SOLITVM NON promiſſa munera dare.

Epigr. 97 Rhombum pollicitus meminiſti haud mittere, Princeps,
Munera ſic mihi das omnia mente modo.
Re te munificum cupio, non nomine tantùm,
Quæ non præſtiteris, tu tibi pollicitor.
Corpus ego cum ſim, male (crede) ſcit vmbra placere;
Cum viuis vt agis, mortuus haud vt age.

AD

AD NAVEM, QVÆ IN ITALIAM AVGVSTISSIMVM Hiſpaniarum Regem noſtrum vehebat.

Cæſareæ Rector Ratis vt contempſerit vndas, Epigr. 98
Sic mare velivolum deſpice cymba leuis.
Immanes ventos condet, namque Æolus antris,
Vt ſpiret velis aura benigna tuis.
Eſt ætate minor ſolùm, quem tu vehis ille,
Imperio ſed is eſt ſanguine major vti.

EPIGRAMMA PROGNOSTICVM.

Aſcanius melior Tyrrhenum nauigat æquor, Epigr. 99
Cui pater Æneas ſceptra tenere dedit.
Alter & Anchiſes tandem cui clarior illo,
Vincat vt adverſos, vincere nunc dat avus.
Imperium fruſtrà detrectant colla ſuperba,
Nam victos hoſtes ſub juga mittet eos.
Inuita invidia dabit his regnare per Orbem,
Nobilis & virtus cum pietate ſimul.
Excuſſoque jugo fuerint quicumque rebelles;
Vinclis (par vt erit) ferrea colla dabunt.

SE NOCTVRNÆ QVIETIS TEMPVS MINVERE, vt laborem augeat.

Nocturnæ tempus demo perſæpè quieti, Epigr. 100
Vtile, dum vigilo , poſsit vt eſſe mihi.
Rebus in humanis varia argumenta requirens,
Quæ tractare placet , ſcribere quæque juvat.
Inde brevis ſomnus , requieſque breviſsima nobis,
Longus at vnde labor , gratiòr inde mihi.

IN SVOS FAMVLOS, QVORVM INERTIAM, & ſtuporem inſimulat.

Supplicium fuerat functo coniungere viuum, Epigr. 101
Delictoque graui eſt credita pœna grauis.
Sed cur me fatum ſic iunxit pluribus vnum?
Inter & exanimes viuere cogor ego.

*** *** **

SE IPSVM MALA, QVÆ REPELLERE *potuisset, tolerasse insimulat.*

Vi, non sponte, ferat quivis si incommoda forte,
Si ferat hic patiens, tunc sapienter agat.
At si sponte ferat mala, quæ propellere poſsit,
Imprudens toleret, quæ patienter obit.
Stultus, ais, ne adeo est? hoc cui contingere poſsit,
Est. Et ne dubites, contigit hocce mihi.



LIBER NONVS.

LÆDIT, QVI PROMISSA MORATVR.

Læserit haud renuens, quæ non concedere poſsit,
Epigr. Qui meritove negat, quæque petita dare.
1 Læserit at minimum, vel qui promissa retardet,
Quod promisit enim, desiit esse suum.

IN ALIQVOS SIMVL COMPOTANTES, *perpetuoque ferè rixantes.*

Vos compotantes quiuis tùm credat amicos,
Epigr. Iurgia cernenti sensus vt alter erit.
2 Non ego conviuas vocitem sic viuere suetos,
Et mihi bella parans, hostis habendus erit.

IN EOSDEM.

Perpetuas rixas vestras quis ferre valebit?
Epigr. Iurgia quisve inter pocula læta vocet?
3 Rixari videat quis vos, potareque cernat?
Musta modòque placent fusa cruore sine?
Hoc hominum non est, sed viuere more ferarum,
Quæ comedunt vnà, bellaque sæpe mouent.

MVSAM, VT AVXILIETVR ROGAT.

Musa, mihi præsta nunc, quæ solatia semper,
Epigr. Nostris esse malis tu medicina potes.
4

Menti

Menti ſollicitæ non tantum pharmaca præbes,
Sed ſimilique modo corpora noſtra levas.
Quid ſine te facerem, nobis ni carmina dictes,
Queis laudare placet, plectere queiſve juvat?

INTERROGANTI, NVM ETIAM MORIENS carmina conderet, reſpondet.

Vt ſemper ſolito cunctis præponere Muſam, *Epigr. 5.*
Nempe vt ſola malis, quæ medicare ſolet.
Tunc quis fata prement, & cum vltima luxerit hora,
Dicito, tunc etiam carmina condideris?
Sic ego, tunc noſtris cœptis quid poſsit obeſſe,
Cur non vt Cygnus funera noſtra canam?

SOLVS, MAGIS CONTENTVS, QVAM MALE comitatus.

Solus ego fuerim, num cunctis hiſce diebus *Epigr. 6.*
Sic rogitas, refero ſic &, amice, tibi.
Vt mihi præteritis præſens non aſtitit vllus,
Lætior inde fui, quam comitatus ego.
Non quod perfecto multùm non læter amico;
Aſt perfectus vbi quis ſit amicus? age.

NIL TIMET MISER, QVIA NIL SPERAT.

Miraris, poſsit quod nil turbare quietem
Noſtram, atque inuitis omnibus, acer agam. *Epigr. 7.*
Nulla fauet nobis ſpes, quæ vaneſcat in auras:
Et nihilum ſperans, nulla timere ſolet.
At mortem timeat ſaltem, tu dixeris, ille,
Cur obitum paueat, quem cupit vſque miſer?

FRVSTRATVS ASSIDVO SPE, NVLLAM concipere vult.

Ex me, ſi rogitas, ſpem cur nutrire recuſem,
Qua nixus valeam fortis obire mala? *Epigr. 8.*
His bene ſi memini, jam ſum fruſtrà artibus vſus,
Sæpeque deluſus, triſtior inde fui.
Præteritis ſæclis ſpes haud deluſa cadebat,
Temporibus noſtris, fallit at omnis homo.

*** *** ***

AD EPIGRAMMATA, QVÆ NVNC SCRIBIT, & quæ ob senectutem, Typis, vt prima data visurum esse non sperat.

Epigr. 9
Participes sumus acris, communisque doloris,
Vt fratres cupitis, lumine vosque frui.
Nata prius verùm finito nunc luce potiri,
Ortus post obitum, credite, vester erit.
Spes ea sit tantùm nunc pro solamine nostro;
Scripta legent plures, fortè quis ediderit?

EX COPIA CVJVSQVE BONI NIMIA, contemptus.

Epigr. 10
Vt tibi sto minimi, parui me & habere videris,
Abs te quærendus, quærito namque nimis.
Vile fit en nobis, est quod pretiosius, vsu,
Vtendusque minus, tunc tibi carus ero.

ACTIS CVIQVE PROBANDA EST NOBILITAS, non dictis.

Epigr. 11
Est quid, non dubito, claris à patribus ortum
Ducere, sed magis est hos meruisse patres.
Ne sobolem jactes, quam non sit cura referre,
Quem credi & cupias, actibus ipse proba.

IN INIVRIOSVM, ET PROBROSVM SCRIPTOREM.

Epigr. 12
Indignis famam scriptis dum quærere credis,
Spreverunt tantùm, qui tua scripta legunt.
Aut odere simul queis hæc perlecta fuere,
Quod modo plena probris, sint male scripta quoque.

IN EVNDEM.

Epigr. 13
Non bene notus eras, scriptis quæ fuderis ante,
Ex in me scriptis cuique sed ecce pates.
Audax in primis, sed in his, quæ jacta fuere,
In nos visus eris pestifer Author, vt es
Ignarus, vilis, mendax, & proditor vsque,
Et stolidus Scriptor, nescius omnimodo.

*** *** ***

IN EVNDEM.

Illæſus læſiſti, meque offendere quæras, *Epigr.*
Hiſce modiſque velis, quos adhibere potes. 14
Iratus meritò, tibi jam noua vulnera tentem,
Pluraque ſi faciam, plura merere putes.

IN EVNDEM, QVOD IGNOTVM, ET INNOCVVM *læſiſſet.*

Me ſi nouiſſes prius, vt jactaueris vltro, *Epigr.*
Non credo fuerim tum tibi læſus ego. 15
Error & inde tuus duplex manaverit in me,
Ignotum lædens, innocuumque ſimul.

QVOD PLVRES MIRARENTVR, SCRIBENDO, *quod perpetuò incumberet.*

Sit mihi nulla quies vetulo, mirantur vt omnes: *Epigr.*
Liuor an hoc faciat, num pietaſve facit? 16
Quidam, crediderim, faciat commotus amore,
Invidia plures, quos mea fama premit.

QVOD PAVCIS NEC INDOCTIS SCRIBAT.

Scribere non merear, noſtros ſi ſcripſero verſus *Epigr.*
Pluribus, at paucis carmina noſtra dico. 17
Abſtineant fatui cupio, tantùmque revolvant,
Qui numerum fugiunt, queis numerique placent.

EX ANNORVM NVMERO, SE NON MVLTVM *viuere poſſe, indicat.*

Octo ſupra ſexaginta, qui vixerit annos,
Dicier haud juvenis, jure poteſtque ſenex. *Epigr.*
Tot mihi, non plures, fateor, ſunt qui peraguntur, 18
Vnde ſpeique parùm, juſtus at inde timor.
At juveni, atque ſeni, dices, mors imminet illis,
Poſsit vterque mori, debet at ille prius.

IN ALIQVEM ASPERE STIPEM PAVPERI *negantem.*

Paupertas miſero, rogo te, num ſufficit ipſa,
Durus vt innocuo verba referre velis? *Epigr.*

Cui 19

Cui renuas operam, verbis ne lædere tentes,
 Auxiliumque negans, da precor ore modo.

IN ALIQVEM, QVI SEMEL AVTHOREM prodiderat.

Offenſæ illatæ jam non meminiſſe fatebor:
Epigr. Sit tamen haud cupio, copia nulla mei.
20 Es culpæ ergo memor (referes) non. Cauſa ſed hæc eſt;
 Sis iterum nolo proditor ipſe mihi.

IN FALSO TIMENTES, AVT INCONSVLTE pauentes.

Qui falſo timeant, ſoleant vel prodere veros,
Epigr. Sæpe metuſque ſuos, vt ratione carent.
21 Plectendos reor hos, variis pœnis ſed vtroſque;
 Deſpicio primos, illachrimorque aliis.

IN ALIQVEM NIMIS ANIMO VAGANTEM.

Epigr. Verſari nobis cum non meminiſſe videris,
22 Abſens, & præſens cum ſimul eſſe ſoles.
Corpore nam præſens, dictis cum nulla remittis,
 Abſens vt ſi eſſes, omnis abeſſe putat.
Siſque domi prodeſt, quid cum videaris vt abſens;
 Te videantque licet, quærere cum ſit opus?

IN ALIQVEM, QVI AD OMNIA, QVÆ legerentur, tacebat.

Epigr. Nec laudas, nec damnas, quæ tibi ſcripta leguntur,
 Scilicet inuidus es, neſcius, ambo ſimul.
23

IN INVIDVM, ET INFENSVM.

Epigr. Dedecus vnde mihi, famam magnamque paraſti,
24 Sic ero Mardochæus, ſic eris alter Aman.

IN AVLVM PARTES CONTRARIAS SEQVENTEM, contrariumque male ſimulantem.

Ne ſimules ſimulans, quæ diſsimulare valebis
Epigr. Nunquam, notus vt es, noſcere cuique velit.
25 Ne fingas ſtudium, pateat cum praua voluntas,
 Bis ſimulans, lædis, verus at Aule ſemel.

IN ADVLTERAM.

Tullia ſe Paulum jactat feciſſe parentem, *Epigr.*
Saltem quod peperit, dicitur ille pater. *26*

IN ILLÆSVM LÆDENTEM.

Illæſus lædis ſic es, quam vipera, pejor, *Epigr.*
Exagitata niſi, non ea lædit enim. *27*

VERBORVM JOCVS AD AVLVM.

Qua ratione quidem rea poſsit Tullia dici, *Epigr.*
Nec capio ſanè, nec ſatis vnde liquet. *28*
Nam dare cuique ſuum, lex prouida ſi jubet, Aule,
Servet vt hanc legem, cuique dat ille ſuum.

IN LIBELLORVM FAMOSORVM AVTHOREM.

Famoſus cupiens famoſis eſſe libellis, *Epigr.*
Cuilibet infamis factus es ecce modo. *29*

VERBORVM JOCVS.

Fœmineum dicunt, recipit quod fœmina quæque, *Epigr.*
Fœminei generis dixeris ergò virum. *30*
Vtque viro dicunt, quod convenit eſſe virile,
Maſcula ſic dici, fœmina jure poteſt.

IN LAIDEM.

Quæ Lais eſt nupta olim tot mœchata per annos, *Epigr.*
Nuptaque quam prius eſt, quæ quoque mœcha fuit. *31*
Quæ paritèr vidua, haud mœchari deſiit vnquam,
Et vulgaris erát ſanguine mœcha ſuo.
Vt comiti nupſit, quid nunc factura ſit, audi
Sanguine nunc alio mœcha celebris erit.

AD FOEMINAM FORMOSAM SIMPLICITER indutam, ornatè verùm, minus pulchram.

Ornatu ſine, viſa mihi es tum pulchrior vlla: *Epigr.*
Quod natura dedit, vanuit artis ope. *32*
Indue vel veſtes, poſsis queis nuda videri,
Ægra nec, in lecto perpetuòve jace.

*** *** ***

DISCRIMEN INTER DVOS MARITOS, SVMPTVM ex discrimine vxorum.

Epigr. 33
Cur est diues Hylas, nihil est cui præter agellum?
Pauper cur Artus, cui tamen vnus ager?
Vnus arator Hylæ tantùm non sulcat agellum,
Artus at in campo solus arator arat.

NOVEM EPIGRAMMATA, QVÆ IN PERPETVVM damnarat, rogatu amici restituta.

Epigr. 34
Damnaram exilio ægrè, pauca Epigrammata nostra,
Visa modesta minus, nec moderata satis.
Restitui ast alijs tandem vix quæris, amice,
Hisque tui causa gratia facta fuit.

DE INVIDIA, QVAMVIS PAVPER, CONQVERITVR.

Epigr. 35
Quid diues facerem, si nunc pauperrimus vt sum,
Inuidiæ sæuis vrgeor insidiis?

NON MELIORES SVNT HONORES, ET OPES, quàm quibus dantur.

Epigr. 36
Si cui dantur opes, paritèr cui dantur honores,
Sæpius expendant, quis tolerare queat?
Qui, quam qui accipiant solidè tunc omnia quæque
Dantur eis equidem, non meliora sciat.
Et rata cuncta meis istis nunc fecero verbis,
Diuitiæ, decus aut, terrave fumus erit.

IN ALIQVEM, QVI FALSE, ET RIDICVLE Authorem ad aliquod scriptum non rescripsisse dicebat.

Epigr. 37
Scripta mihi quæ sint, scio jam his responsa dedisse,
Dixero quæque super, dixerit omnis homo.
Quæ at legisse putas, & nulli lecta fuere,
Non rescripsi illis, nec potuisse reor.

AD AMICVM, CVR NOLIT IN INVIDOS, & obtrectatores convicia fundere.

Epigr. 38
Obtrectatores scriptis cur plectere nolim
Probrosis, rogitas, aspera probra ferens?

Sci-

Scilicèt invidia plectuntur ſemper vt ipſi,
Tempore noſtra ſatis fama laceſſet eos.
Ex operiſque meis noua, nunc vt gloria creſcet,
Omnibus his fatuis creuerit inde dolor.

IN BIBLIOPOLAM NOMEN AVTHORIS *ſibi tribuentem.*

Si quanti conſtat codex, vt vendere poſsit, *Epigr. 39*
Bibliopola ſciat, tumque ligare ſimul:
Nouerit ille ſatis, poſſunt nec plura requiri;
Author at eſſe volens, ſciuerit ille nimis.

IN EVNDEM.

Fama fuit quondam te quem ſcripſiſſe libellum, *Epigr. 40*
Immeritòque, nihil cum niſi fama foret.
Scribere non etenim tranſcribere dixerit vllus,
Te hoc feciſſe ſcio, prætereaque nihil.

IN TVSCAM.

Jurgia ſæpè mouet patienti Tuſca marito, *Epigr. 41.*
Diraque probra jacit quò tacet ille magis.
Audaces animos ejus patientia præſtat,
Illa tacere ſciet, ſi ſciat ille loqui.

IN SABINAM FOEDAM, ET DE QVAVIS *Pulchra iudicium ferentem.*

Pulchra ſit an Phillis, Cloris num ſitque venuſta, *Epigr. 42*
Dicere poſſe alii, fœda Sabina putet.
Ore ſed hæc fatuo nobis cum talia jactat,
Fœdior omnibus eſt, quæ modo fœda fuit.

IN ALIQVOS EX INSCITIA RIDICVLE *Affirmantes has, vel illas venuſtiores eſſe.*

An lepidæ magis hinc, aut illinc ſint oriundæ, *Epigr. 43*
Eſt dubium multis, rarus & aſſeruit.
At ſuper his rogitant, ſi quæ ſententia noſtra,
Illa venuſta magis, quæ magis illa placet.

*** *** ***

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Epigr. 44 Sub ſpeciè fidi cruciat nos proditor atrox,
Quo magis at cruciet, plus ſtruit ipſe crucem.
Haud notum faciam licèt hunc, & prodere nolim;
Se ſatis atque brevi tempore prodiderit.

IN PHORMIONEM SORDIDVM AVARVM.

Epigr. 45 Phormio, ſcire cupis quantum quiſque horret auarum?
Te tuus en lacerat ſolus amicus Hylas.

CVR NOLIT SENEX DIVITIIS PARANDIS *intendere.*

Epigr. 46 Continuò quæris quare non commoda quæram,
Cur nolimque ſenex quærere diuitias?
Incaſſum quæram cura cur quaſque labore,
Non juvenis potui, cum magis eſſet opus?
Sunt mihi, ſed referes, queis illas linquere poſsim:
Num quaſi quæſitas jam mihi credis eas?

IN ALIQVEM NIMIS SOLICITE ROGANTEM *Cur Author de commodis quibuſdam filio jam grandiuſculo curandis non curaret.*

Epigr. 47 An ſatagam nati rerum perſæpe rogas me,
Commoda numve petam, cui ſit origo data.
An ne tibi, an ne mihi nati ſic pondera luges,
Dicito, cuive bono? ſic & vtrumque leva.

IN ALIQVEM RIDICVLE SCISCITANTEM *nùm Authori quid eſſet opus.*

Epigr. 48 Non operam nobis præſtas, non vtile confers,
Sæpe tamen rogitas, ſitne mihi quid opus.
Mendacem cuperem, vellem ſi teque doloſum;
Mox rogitem, & ſubitò quæque petita neges.
Conjicio vnde, refers? Dederit qui dona rogatus,
Non nihil interdum ſponte det ille quoque.

IN FVLVVM LAVTE FORIS EPVLANTEM.

Epigr. 49 Fulvus, Amice, rogas laute cur viuere gaudens,
Sæpe foris comedat, continet atque domi.

Quæ

Quæque domi comedit, ſunt illi noxia multùm,
Vultque poteſt quantùm Fulvus habere bene.

IN PLVRA DANTEM, PLVRIMA DATVRIS.

Fercula cum video multis, quæ multa feruntur, Epigr. 50
Prudens cenſeris, non mihi munificus.
Das vtenda modo, das cum cuicumque daturo,
Da data cui mereat, reddere quique nequit.

IN CATOS NOXIOS, ET DAMNOSOS.

Muribus infenſus, nobis nolo catus adſit, Epigr. 51
Namque malo pejor non medicina placet.
Decipula vna ſat eſt, murique grauiſsima plaga,
Non damnoſa domi, noxior atque tacens.

AD FORTVNAM.

Tempore præterito ſectator ſortis amicæ, Epigr. 52
Omnia præſtiterim queis & amica foret.
Contemptus ſenſi, ſector non amplius illam,
Sitque inimica volo, ſponte vel ipſa fauens.

IN AVNVM INGRATVM, ATQVE IN PRIMAM gratiam redire cupientem.

Incaſſum cupias iterum, ambo vt ſimus amici, Epigr. 53
Decipier tantum, nam ſemel, Aune, licet.
Munere quo potui, de te meruiſſe recordor,
Ingratoſque nouos anteferamque tibi.

ARCANVM, ET MYSTICVM.

Conuentus celebrant, jungit quos praua voluntas, Epigr. 54
Lædenteſque fidem, juraque juſtitiæ.
Quod poſſum facio; ſed quid damnare juvabit?
Haud reprobare ſat eſt, plectere quos ſit opus.

IN MAXIMVM NEBVLONEM, ET ÆRVSCATOREM.

Mille tibi nummos (ſcio) dat vectigal in annum, Epigr. 55
Atque decem fundis, plus quoque ſi ſit opus.
Sponte dat at nullus, quæris ſed, fraudibus vltra,
Eſſe malum cunctis, tanti emis anne precor.

QVOD

QVOD PAVCIS ADMODVM HORIS PLVRIMA *Epigrammata ſcripſiſſet.*

Epigr. 56 Tot paucis adeò horis an ne Epigrammata ſcribam,
Quæ penna tantùm ſcribere nemo queat?
Teſtes adfuerint: fuerim ne ſilere coactus?
Crediderint, vel non, ſcripſero ſemper ego:

SE MVLTA TYPIS DEDISSE, PLVRA *poſt obitum ſcripta relicturum.*

Epigr. 57 Plura Typis dederim ante obitum, ſed plura relinquam;
Quæ dederint alii, ſi dare forte volent.
Sed cur noluerint? Pietas eſt condere functos,
Eſt pietas pariter reddere functo animam.

IN ALIQVOS RIDICVLE PVTANTES CARMINA *edocendo non idonea eſſe.*

Epigr. 58 Num præcepta modo dantur, ſermone ſoluto?
Numque eadem nequeunt, carminibuſque dari?
Ridiculum prorſus, quiuis ſi talia jactet,
Sermo pedeſtris vti, dogmata carmen habet.

IN OFFICIJ, JVRISQVE IMMEMORES.

Epigr. 59 Invidiæ dentes frangam nec tempore multo,
Præcipiteſque ruent, qui inſidiaſque ſtruunt.
Hos monuiſſe pudet, ratio quos debeat ipſa,
Officii memores, non ſatis eſſe ſui.

MATERIA VERBIS, QVOD NVNQVAM DESIT, *nec verba materiæ.*

Epigr. 60 Materies, quod vbi eſt, non verba fluentia deſint,
Non miror, tamen eſt res mihi mira ſatis.
Scilicèt & pariter nobis, quod vtrumque ſuperſit,
Materies verbis, verbaque materiæ.

IN INIMICOS IMMERITO INFENSOS.

Epigr. 61 Hoſtes non merui, in me tot qui bella pararunt,
Functus qui fuerim munere quique pio.
Cauſa ſit hæc verùm queſtus; ſed forſitan illis
Non læſiſſe ſatis, tædet, & inque pudet.

AN

AN VNDE FLAT PESSIMVS VENTVS, POSSIT proba gens venire, dubium quod nolit, nec audeat solvere.

Ventus an vnde malus, proba gens posſit ne venire? Epigr.
Hoc dubium multis, eſt pariterque mihi. 62
Orbis ſed (rogitas) quæ pars eſt, quæ Plaga mundi?
Nos dubitare licet, lædere diſplicet at.

IN HYLAM ANTEA DEBITA NEGANTEM.

Nuper auarus Hylas tibi debita cuncta negavit; Epigr.
Juſtior at factus, vult dare dimidium. 63
Accipe quam citius, non hæc oblata recuſes:
Dimidium eſt totum, quod tibi ſoluit Hylas.

IN AVLVM, CVM QVO INGRATIAM redierat.

Aulus erat nobis meritò nec valde inimicus, Epigr.
Cuilibet vt fuerit, qui ſua forte petat. 64
Hoſtis at hoc noſtrum ſtudium cur poſtulat Aulus?
Non amor hoc præſtat, præſtitit hoc ſed opus.

IN ALIQVEM VSVRARIVM.

Mutua jam memini abs te pauca rogata negaſti, Epigr.
Cauſatus falsò tum nihil eſſe tibi. 65
Calleo ſed, quare fuerint hæc pauca negata,
Pignore nam petii, fœnore tuncque ſine.

IN EVNDEM.

Ipſe manu clemens non ſum, ſed ſum pius auro, Epigr.
Dicebat quondam Relligioſus homo. 66
Ferre licet de te, ſi judiciumque referre,
Neutro clementem crediderim, ve pium.

IN AVARVM AD PRANDIVM INVITANTEM, ad Amicum.

Tam parui comedit, tam parce inuitat amicos Epigr.
Mæuius, vt pereat combibo quiſque fame. 67
Aut non inuitet, conviuæ aut fercula ponat:
Soli &, Amice, ſibi, ſobrius eſſe velit.

FE-

FELICITAS MAGNA POSSE MVTARE Famulos, summa nullos habere.

Epigr. 68 Felix ille quidem, posit qui adhibere ministros
Plures, ni placeat quem prius ille vocat.
Felix ille magis multo sed qui caret illis:
Quilibet illorum pestifer hostis vt est.

IN ALIQVEM MARITVM, QVI SÆPIVS SOLAM vxorem dotibus præstantem, domi relinquebat.

Epigr. 69 Aut nunquam, rarò aut (video) es comitata marito;
Tu secura tamen, nullaque casta magis.
Præstantem noscat sed te cum dotibus ille,
Non bene te nouit, linquere dumque potest.

Epigr. 70 VERA PVLCHRITVDO, VENVSTAS ET LEPOR.

Sunt pueri duo, sunt duo sic totidemque puellæ,
Altera pulchra modò, prima venusta magis.
Ingenio placet hæc, cur displicet altera forma?
Forma venusta est, ingenium atque lepor.
Sic ratione pari norunt redolere sorores
Nati, cum sit eis dissimile ingenium.

SINE ACVMINE, ET LEPORE CARMINA nihil sunt.

Epigr. 71 Condere non satis est numeris quæ carmina constent,
(Cum nisi constiterint carmina, nulla putes)
Quid magis ergo petam? in rebus sit sensus acutus,
Sit vigor in verbis, gratia pauca nec his.

EJVSDEM FERE ARGVMENTVM.

Epigr. 72 Haud faciunt normæ, facit ipsa Minerva Poetam,
Et sine acumine dat regula verba modo.
Quam numeri fatui, potior sit sermo solutus,
Anteferam sed ei carmina scripta bene.

IN ARGVMENTVM SATIS CLARVM.

Epigr. 73 Inuitis animis, quorum jam crimina nota,
Et tacita accusant viscera quosque satis.

Proteret ipse brevi hostes, atque referre triumphos,
Jam rabidi videant, quos cuperent satius.

NON SOLVM IN MARI, SED IN TERRIS *sunt procellæ.*

Per mare non solum, per terras suntque procellæ, *Epigr.*
Immanes venti flant sine cumque modo. 74
Corporis est nauis siccas agitata per vndas,
Et capiti grauius, noxius estque nihil.

PVLCHRITVDINIS PHILIDIS LAVDATIO.

Vt formosa queas, Phillis, cunctisque videri, *Epigr.*
Cur fœdas socias vis adhibere rogo? 75
Vel si formosas etiam tibi sumpseris ipsa,
Tunc erit inter eas nulla paranda tibi.

QVÆ DISSIMILITVDO SIT INTER VERVM, *& falsum amicum.*

Quæque petas tantùm promittat falsus amicus; *Epigr.*
Verus at vsque dabit, nec tamen obtulerit. 76
Hic taceat cunctis fidus, quæ dixeris ipsi,
Falsus nec sileat, quæ meditetur ea.

IN ARDVA SE FACTVRVM PROMITTENTEM

Quæ promissa facis, fateor, sunt ardua quæque; *Epigr.*
Ast operosius est quid, referamque tibi. 77
Scilicèt vt præstes quæuis operosa videntur,
Cum præstare nequis, quæque facillima sunt.

AVTHOR SPERNIT FORTVNAS, *& quare.*

Fortunas fateor vetulus jam rideo cunctas, *Epigr.*
Rideo quod, rides, orbus vt hisce loquor. 78
Rideo quod mereanr risum, magnumque cachinnum,
Cum vitæ, & morti sint mihi pauca satis.

IN HOMINEM SVPERBVM RECENTI *nobilitate insignitum.*

Illæsus quare toruo me respicis ore? *Epigr.*
Scilicet en nimis es cognitus ore mihi. 79

Ff Noscere

Noſcere me bene ſcis te nobilitate recenti,
Et velles ab auis eſſet vt illa vetus.

QVOMODO SE GERAT VBI LABITVR SPES.

Epigr. 80
Spero quid, atque citò ſpes omnis tollitur illa,
Conſule quid faciam : mens fera ſæuiat an?
Talia quis faciat? nobis eſt parcior ira,
Nec placeat damnis addere damna meis.

EPIGRAMMA DIALOGISTICVM SVPER *quibuſdam reis, quos ſatis plectat conſcientia facti.*

Epigr. 81
Principio fuerim modica non concitus ira,
In quos odiſti, jureque perſequeris.
Nunc furor eſt verſus. *Mens num jam vertitur illis?*
Non, ſed pro pœna, credito culpa ſat eſt.

IN SARTOREM ENCOMISATYRICVM EP.

Epigr. 82
Qui Sartor veterum fuerat, rerumque refector,
Hic reparando genus nobile compoſuit,
Inuitis & auis, inuitis Patribus & ſe,
Natis ille dedit quod renuère Patres.
Inter Sartores, Sartor fuit optimus ille,
Qui generi ille nouo, jam vetus eſſe dedit.

CELSISSIMÆ REGINÆ NOSTRÆ *laudatio.*

Epigr. 83
Non formoſa modò, ſapiens Reginave fulges,
Non modo tu ſapiens, ſed pietate nites.
Non pietate modò, cunctis ſed dotibus ipſa,
Queis radiant aliæ, clarior omnibus es.

NOX ILLI DIE CARIOR, ET QVARE.

Epigr. 84
Non bene Muſa viget, radiant cum lumina Solis,
Perpetuò vt ſtat opus, feruet vbique labor.
Non fovet vtque dies ſtudioſa ſilentia noctis,
Nox eſt inde die carior illa mihi.

IN FOEMINAM BIBACEM, MOROSÆQVE INDOLIS.

Epigr. 85.
Qua ratione legat teneram tu docta docere,
Neptim, cum inſtituis, cætera credo doces:

De

Debeat illa modis queis oppugnare maritum,
Queis bibat illa simul, mordeat ipsa quoque.

GLAVCI E VILI STIRPE ORIVNDI Laudatio.

Stirpis se meminit Glaucus non nobilis esse, *Epigr. 86*
Res ita quin se habeat, quæ sit origo refert.
Non sordes ortus modo, spurcas prodit & artes,
Sic vtriusque memor, delet vtrumque simul.

VIRES AB ANNIS ANIMVS, ET CORPVS recipere videntur.

Annis jam pressus multis à tempore multò, *Epigr. 87*
Quo senior fio, sum minus ecce senex.
Conficiunt numerum, nihilum sed ponderis addunt,
Dant vires animo, corpus & vsque manet.
Fabula quem referat, sum nunc Antæus vt alter,
Quò proprior terræ, fortior extiterim.

AD POTENTISSIMVM HISPANIARVM Regem nostrum, cujus reditum expetit.

Non cupio vincas, addas vt serta coronis, *Epigr. 88*
Atque, Philippe, domes vt redeas aueo.
Monstra domi, quæ sunt, tua mox præsentia vincet,
Hostes vince tamen, monstra ruentque modò.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Consulitis male, vos queis est injusta cupido, *Epigr. 89*
Non optata cadent, fabrica nostra stet vt.
Plectere si vellet vos & nos, cuncta repleret,
Vestra Deus renuet, nostra cupita dabit.

IN PRODITOREM.

Quæ nunc eveniunt, non evenisse recordor, *Epigr. 90*
Nec mea, Pierides, vota negasse prius.
Aoniæ renuant nobis cur verba sorores,
Cur? Quia nec satyras proditor ecce meret.

*** *** ***

SOCER IN GENERVM.

Epigr. Me vxorem natam tibi noſco locaſſe marito,
91 Duxeris vt, memini, meque locante patre.
Nunc trahis aſt vt eam noſtras intraris & ædes,
Duxeris heus? an ego duxero te generum?

BRVMALE TEMPVS ÆSTIVO ANTEFERT.

Epigr. Aduenient citius Brumæ jam tempora nobis,
92 Queis labor innocuus, queiſque ſtudere licet.
Quæ faueat Medicis, at dira canicula tantùm
Sæuiat, illa placent tempora quæque fouent.

IN AVTHOREM BELLI.

Epigr. Arma, furorque ſimul totum graſſantur in Orbem;
Vnius at culpa, cui Themis alma nocet.
93 Hic feret, hic ſolus ſed ſæua pericula belli,
Qui mouet illud, erit dignior ille malis.

DIVES CACHINNO DIGNIOR, QVAM *Commiſeratione.*

Epigr. Luxuriantur opes huic, ſed pauperrimus ipſe
Fortunis timeat, nec bona parta tenet.
94 Invidiam nulli moueat, ſed cuique cachinnum;
Diuitiis quæ ſint tortor vt eſſe poteſt.
Nec pietas in eum pœnis nam ducitur ex his,
Eſſe miſer meret vt, qui miſer eſſe velit.

IN HYLAM AVARVM, AD HYLAM

Epigr. Maxima ſpes referunt in te nunc eſſe valeret
Nobis, ſi modo ſim morigeruſque tibi.
95 Eſſem, ſed timeo, tua ſic præcepta ſequutus,
Ne tibi ſim ſimilis, diues avarus, Hyla.

AD PATRIOS, ET IN EOS.

Epigr. Eſtis vt eſſe quidem prius hic vos fama volarat,
96 Aſt amor in patrios inficiatus erit.
Tempore quod longo potui ſoluſque negare,
Rixis continuis an ne probatis ita?

EOSDEM AD PACEM, ET CONCORDIAM *excitat, & hortatur.*

Inter vos rixas nolitis bella ciere, *Epigr.*
Quos nisi pro Dominis nulla decere queant; *97*
Vnica pax deceat vos, vt concordia, fratres,
Illa viros faciat, rixa facitque feras.

AD PRINCIPEM, QVI SIBI PER JOCVM *de Authore male dixerat.*

Tu male, sed tibi de me, cum modo dixeris ipse; *Epigr.*
Princeps tutus eram, tu quoque tutus eras. *98*
Ast ausus fuerit tibi quis si dicere idipsum,
Tunc ego tutus ero, tutus at haud erit hic.

AD ALIQVEM, QVI GRAVITER TVLERAT *quod ipsum monuisset ne veniret.*

Sæpe domi te expectans, frustra insumpsero tempus; *Epigr.*
Nec tulerim grauitèr, nec tibi quæstus ero. *99*
Ne venias moneam grauiter cur ergo tulisti?
Quod male sæpe facis vis tibi num fieri?

AD EVNDEM.

Siue venis, aut non, semper te expecto molestum; *Epigr.*
Vtque molestus abes, namque molestus ades. *100*
Vt neutrum facias, moneas ne, velle venire;
Aut si tu venias, sis grauis vsque minus.



PETRI



PETRI PAVLI BILLETI PARISIENSIS DISTICHORVM LIBER PRIMVS, ET EPIGRAMMATVM DECIMVS.

NON LVDVS EST, IN QVO VTILE QVÆRITVR.

Dist. 1 Ludus erit non hic, ludi at commercia tantùm,
Ludus & ille modò, luditur vtque nihil.

QVID HONOR SIT, QVID SVPERBIA.

Dist. 2 Fumus honor fuerit, ventuſque ſuperbia tantùm,
Effecta an cauſam, quæſo, referre decet?

CVR LVNA LVMINARE MAGNVM DICATVR.

Dist. 3 Præ ſtellis magnum lumen cur Luna refertur?
Nocte quia illa micat, Solis obitque vices.

NON NOX EST, QVÆ PRÆTERIT INSOMNIS.

Dist. 4 Dicitur haud mihi nox, quæ prætereat ſine ſomno,
Eſt ſine luce dies, cumque quiete labor.

QVIS BONVS, QVISVE MALVS DICENDVS.

Dist. 5 Quis bonus? Hic aliis interdum, qui vtile quærit.
Quis malus? Ille modò ſcit ſibi, qui eſſe bonus.

NON OMNIS HOMO PRÆSTARE POTEST, quod alter.

Dist. 6 Num præſtare poteſt quiuis, quod præſtitit alter?
Qualibet ex terra gignitur haud adamas.

IN DIVITEM, SED INGENVIS DOTIBVS Orbum.

Dist. 7 Thure meo tua ſeis cur non altaria fument?
Aurea (ſic referam) non ſimulacra colo.

QVIS

QVIS SIT MISERRIMVS INTER HOMINES.
Quis plorandus erit, ſcis quiſque miſerrimus ille, Diſt.
Cui cunctis noto nullus & inuideat. 8

ERRORE GAVDENT OMNES.
Omnes ægrotant, falli, male ſi ſit habere: Diſt.
Nemo at ſi rogites, vellet habere bene. 9

NON OMNINO INVIDENDVM EST, CVI SIT vxor formoſa.
Inuidia dignus ſit cui pulcherrima conjux, Diſt.
Deliciis verùm proxima cura manet. 10

HIC PEJVS HABEAT, QVI PLVS SALVTI Indulget.
Mortales inter pejus quis quæſo valebit? Diſt.
Vt bene, cuncta, habeat, qui facit ille modo. 11

QVALIS DVX DEBEAT ESSE, VT BONVS habeatur?
Non fortis modo, non prudens, aſt eſſe beatus, Diſt.
Dux opus eſt, queat vt dicier ille bonus. 12

QVI NON PROMISSIS STAT, SATIS SE LÆDIT.
Ne lædas verbis, verbis qui non ſtetit ille, Diſt.
Nam ſe non ſtantem, læſerit ipſe ſatis. 13

QVIS HODIE MAGIS DILIGITVR.
Quis dilectus erit magis, an qui dignus amari? Diſt.
Raro. Quiſnam igitur? Qui magis vtilis eſt. 14

GRATIA PRO MVNERIBVS.
Accipio gratus grata & quæ munera mittis, Diſt.
Vt grates referam, gratior ipſe veni. 15

QVÆ MVSICA DEBEAT PRÆ CÆTERIS Regibus placere.
Crede, ſonis tantùm non eſt, ſed Muſica verbis Diſt.
Regia menſque petat, qui docet aure ſonum. 16

SOL PRO VARIIS TEMPORIBVS AMICVS *mox offensus.*

Dist. 17 Tempore brumali nobis cum Sol sit amicus;
Vt nocet æstiuo, linquitur ipse citò.

IN FALSVM AMICVM.

Dist. 18 Sæpius addideris tu scriptis oscula pacis,
An tibi, quam mihi, plus constiterint ne doli?

LONGITVDINEM VITÆ EX LABORE INFERT.

Dist. 19 Tempore plus anni, quam multis vixero ab annis,
Mensibus his paucis, nam mihi nulla quies.

QVÆ SIT EX NATIS PATRI MAIOR VOLVPTAS.

Dist. 20 Ex natis, quæ sit Patri anteferenda voluptas?
Si faciem redolent, & referunt animam.

CVR MARITI HODIE NVMMOS TANTVM Quærant,

Dist. 21 Quæritur in nummis cur nunc dos aurea tantùm?
Ignorant homines quod valet altera dos.

QVIS SI BENE COEPIT, FORSITAN PERGAT.

Dist. 22 Quis bene cœperit, vt forsan non desinat vnquam?
Prœmia qui facti cœperit ille semel.

IN HOMINEM VALDE INCONSTANTEM.

Dist. 23 *Velle suum cuique est*, pro te non dicitur istud,
Quodque volunt omnes, te puto velle simul.

IN ALIQVEM MALE SCRIPTA SVA legentem.

Dist. 24 Quæ facis illa, legens simul & tum destruis ipse,
Sunt bona, quæ scribis, lecta sed ore alio.

QVOD HOMO PRÆSTARE TENEATVR.

Dist. 25 Arbor homo est viuens, teneatur qui edere fructus,
[illegible] inutilis vt, non homo, truncus erit.

*** *** ***

QVÆ

QVÆ OBLATA SINT, NON PARTIM, sed omninò danda. Dist. 26

Ingratum faciat dando qui non dabit ipsa,
Sint quæ oblata semel, sæpè petita simul.

NIL PETAT, QVI SIBI NIHIL NEGARI VELIT.

Qui grauitèr tulerit sibi fortè petita negari, Dist.
Omnia vel teneat, vel petat ille nihil. 27

IN OFFENSOREM, QVEM HABVIT OBVIVM.

Obvius occurrens, memini, sum pauca loquutus: Dist.
Si stupui, tibi quid debuit en fieri. 28

REBVS EST ORDO, ET META CVNCTIS.

Rebus inest cunctis finis, sua metaque fixa: Dist.
Incassum & curis vertitur ordo tuis. 29

DELICIÆ, ET DOLORES INSTAR TRVTINÆ.

Sunt nobis trutinæ instar deliciæ, atque labores: Dist.
His premimur semper, tollimur vsque alijs. 30

QVAM DIFFICILE SIT VERVM AMICVM reperire. Dist.

Immensi pretij fuerit tibi verus amicus, 31
Quærito, nec tamen hunc, te reperisse putes.

QVID SIT OPEROSIVS.

In rebus cunctis credo hoc operosius esse, Dist.
Scilicèt vt placeat res simul innumeris. 32

GAVDIA, ET POENÆ, VITÆ POLI.

Lætitia ærumnis mixta est, vt gaudia pœnis, Dist.
Suntque poli vitæ, vertitur illa quibus. 33

QVÆ VITA POSSIT FELIX NVNCVPARI.

Posit in hoc mundo dici quæ vita beata? Dist.
Quæ vitijs careat, quæque dolore simul. 34

NON ANIMI MOTVS, SED EXCESSVS *in his eſt reprobandus.*

Diſt. Non animi motus meritò fuerint reprobandi,
35 Sed modo damnandi, ſi ſit abuſus in his.

GVLA EX CONDIMENTIS ORITVR.

Diſt. Contentos paucis nos natura eſſe docebat,
36 Ars docuit ventrem nolle tenere modos.

CONTENTVS PARTIS, OMNIA TENET.

Diſt. Neſcio fortunam, quæ ſunt, contentus habere:
37 Cætera nec cupiens, hæc & habere ſcio.

QVOD ALIQVIS DICERET, NON A SCRIPTIS, *Scripta eius differre.*

Diſt. Carmina, quæ ſcribis norunt tua ſcripta referre:
38 (Dicis) non mirùm, cum ſit origo eadem.

SENTENTIAS AVTHORIS FORTE, VT *eſſe, ſed alitèr ſcriptas.*

Diſt. Quæ dederis (referent) alii jam ſcripta dedere,
39 Condita aſt aliter, ſit licet eſca eadem.

NIL PRODEST VVLTV VIDERI JVVENEM *cui ſenex ſit.*

Diſt. Mentior ætatem vultu, non ore negarim,
40 Non juvenem vultus, me facit oſque ſenem.

IN AVLVM AVARVM.

Diſt. Tu laudas dotes Auli, ſed dicis auarum,
41 Hoc laudare vocas? detrahere ipſe voco.

IN ALIQVEM HYPOCRITAM.

Diſt. Indulges genio, vis tuque modeſtus haberi,
42 Eſſe velis prius, vt dicier eſſe queas.

IN HOMINEM VALDE DOLOSVM.

Diſt. Fallacem fugiunt, abs te cunctique recedunt:
43 Sed ſerò, cunctos læſeris vt prius hos.

IN EVNDEM.

Nomine ſub vario fallax jam nomina muta; *Diſt.*
Siue locum mutes, fallere ſi cupias. 44

IN ALIQVEM RESIPIENTEM, SED NON debita ſolventem.

Eſt ratio vitæ tibi non quæ jam fuit ante, *Diſt.*
Non prius vt peccas, debitor esque tamen. 45

IN ALIQVEM MVLTA SIMVLANTEM.

Deſipis & reſipis plures, ſicque induis vnus
Laruas, noſceris aſt, inſidioſus vt es. *Diſt.* 46

QVI INDIGET OPE, NON EA DEBET ABVTI.

Indiget auxilio quivis hoc nolit abuti,
Imputet atque ſibi, poſtea ſi careat. *Diſt.* 47

ARDVVM NOBILI PAVPERTATEM FATERI.

Ingenuo ardua res eſt pauperiem tolerare;
Durius at quid erit? ſi fateatur eam. *Diſt.* 48

IN ALIQVEM SINE NOMINE NOTVM.

Pœniteat facti, ſi mens ſit conſcia recti,
Corde nec extiterit, durior illa tibi. *Diſt.* 49

IN EVNDEM.

Diſplicuere tibi debebant quæque placere,
Non mea culpa fuit, ſed tua præſtitit hoc. *Diſt.* 50

IN EVNDEM.

Jurgia nulla tibi fuerit mens noſtra mouere,
Impatienſque tuli, quæ moueas Domino. *Diſt.* 51

CONSTANTIAM INSINVAT IN TVENDO JVRE.

Multa quidem paſſus ſum juſto in jure tuendo,
Plura paratus ero, ſed grauiora pati. *Diſt.* 52

***   ***   ***

POTENTISSIMÆ REGINÆ NOSTRÆ laudatio.

Dist. 53 Imperium, Regina, tuum est venerabile cunctis;
Dignius est cultu, dignum at amore magis.

AD EANDEM.

Dist. 54 Si basis Imperij in Populos sit amata potestas,
Quæ, Regina, fuit quam tua certa magis?

AD EANDEM.

Dist. 55 Nec satis vtque meres cœlo te laudibus æquant;
Quas dant, prætereunt, sed mea fixa manet.

VITIA, ET VIRTVTES VBIQVE VIGENT.

Dist. 56 Vt vitium virtus cunctis Regionibus hæret,
Praua nec est penitus, nec bona quæque patet.

DVOS EXPECTANS, QVORVM ALTERVM tantùm cupiebat. Epig. Prognosticum.

Dist. 57 Expecto ecce duos, vnus vellemque veniret,
Quem timeo veniet quem cupio haud aderit.

LAVDATIO PROMITTENTIS.

Dist. 58 Quin mihi sis dubito haud breuitèr promissa daturus;
At cito quod sperem tarda videntur ea.

DEFINITIO GRATIÆ.

Dist. 59 Quæ faueat verè nouisti gratia quæ sit?
Quæ promissa semel, sit simul ipsa data.

QVÆ SIT GRATISSIMA SALVS.

Dist. 60 Grata salus quæ sit? Quæ nunquam pharmaca noscens,
Naturæ auxilio tempora plura videt.

FRVGIBVS COQVENDIS APTVS CALOR corpora vrit.

Dist. 61 Frugibus hic nimius calor est bonus hisce coquendis,
Concoquit vt fruges, corpora at ille coquit.

OBJECTIO ADVERSVS EPIGR. ANTECEDENS, *cui solutio datur.* Dist. 62

Quid fruges fierent, dices, Sol si minus vrat?
Num maturat eas, est minor æstus vbi.

NVLLIVS PRETIJ DIVITIÆ, NI CONCILIANDÆ *benevolentiæ inseruiunt.* Dist. 63

Diuitiæ placeant queis conciliantur amici,
Displiceant at eæ, gignitur vnde odium.

RES INNVMERÆ FATVIS SIMILES.

Innumeræ æquantur res stellis cur & arenis, Dist. 64
Nùm magis has fatuis assimilare decet?

AN ÆSTAS MVSAS LACESSERE POSSIT.

Æstas, quis referet, possit ne lacessere Musas, Dist. 65
Haud dubiè, vires namque calor minuit.

INFENSVS CVNCTIS ÆSTATIBVS *præsenti infensior.*

Infensus semper diris fuero æstibus ipse, Dist. 66
Vt nocet ille magis, dirior hostis ero.

CVR NON BENE COMEDAT, CVI APPONANTVR *plurimæ dapes.*

Cur bene non comedat, sit copia cuique ciborum, Dist. 67
Quam satiet ventrem, pascit & ante oculos.

LIBRIS NON OPVS EST, CVI NATVRA LEGITVR.

Defuerint libri, non cui natura legatur, Dist. 68
Nullus enim codex major in Orbe fuit.

FERE EJVSDEM SENSVS.

Scribitur en quidquid referunt nobisque tabellæ: Dist. 69
Quid sit, age? Exemplar codicis hujus erit.

MVLIER, ET MVLA NOCENTES.

Mula nocens equidem, atque nocens est fœmina sæpe; Dist. 79
Sed vicibus versis, hæc tamen vsque nocent. 70

JOCVS IN FORTVNAM.

Dist. Si procus ecce potens potui non sorte potiri,
71 Ex illa vetulo quid mihi pollicear?

CVR NVLLA PETAT, A QVO MVLTA speret.

Dist. Cur ego nulla petam, nunc me si forte rogaris,
72 Scilicet vt danti gloria nulla cadat.

IN ALIQVEM CONVIVIO EXCIPIENTEM, vinum malum, & calidum præbentem.

Dist. Vrimur, & calidum mihi das potare venenum?
73 Da mala vina quidem, frigida sed, vel aquam.

SE ALTERIVS NOMINE INCREPAT.

Dist. Si tua Musa tibi dederit quæcumque rogabis,
74 Continuò vexas, curque lacessis eam?

RESPONSVM AD HANC OBJECTIONEM.

Dist. Non quod Musa neget, placeat persæpe rogare,
75 Quod det at illa libens, sic pariterque rogo.

IN ANCILLAM PEJVS, QVAM ANTE Comitialem morbum ministrantem.

Dist. Quo cruciata fuit, morbo est ancilla leuata,
76 Seruit at hæc pejus, sic mihi pejus habet.

IN ADVERSARIVM RIDICVLE INCREPANTEM

Dist. Incassùm mihi tentasti en infigere dentes,
77 Ossa fuere modò, ferreus ecce fui.

AD AMICVM.

Dist. Desiit an nosti sors cur adversa nocere?
78 Lædit, amice, minus, lædere quæque solet.

SÆPE CONSTANTIA, EX MVSA CVPITA impetrauit.

Dist. Consequor ex Musa constanti animoque tenaci,
79 Quodque libens renuit, sæpe rogata dedit.

IN

IN ALIQVEM SVDORE MADENTEM, & oscula pacis Authori dantem. Dist. 80

Oscula dum pacis figis sudore repletus,
Abluis atque vt aquis, balnea credidero.

AD MVSAM. Dist. 81

Dira negas nobis, quæ nunquam, Musa, negasti,
Si gratum cupias, pergito grata dare.

IN ALIQVOS DAMNA TIMERE FINGENTES. Dist. 82

Quam justè mereant, fingunt quæ damna timere!
Non Deus ast ob eos, credito, parcit eis.

AD EOSDEM. Dist. 83

Vos exempla premunt, posſint vos quæque docere:
Doctrina ex alio est noxia namque minus.

AD EOSDEM. Dist. 84

Nulla queat vobis spes ex errore redire,
Damna quidem, redeat mens cito vestra nisi.

IN REVM EXVLEM MORTE DIGNISSIMVM. Dist. 85

Inflictam referant tibi ne pro crimine pœnam,
Gratia dicenda est, vita relicta fuit.

IN SVPERBVM DEBITOREM. Dist. 86

Incedis rheda grauis, immeritòque superbus,
Sed grauior tamen es, qui tibi crediderit.

IN DENTES SVOS IRATVS PRÆ DOLORE. Dist. 87

Sunt pauci dentes, vellem sed nullus adesset,
Ne dolor esset eis, ne dolor hincque mihi.

EPIGRAMMA MYSTICVM. Dist. 88

Vt plures faciunt magni, sic carmina parui,
Plures hæc faciunt, fabula vulpis adest.

*** ***

ÆSTAS

ÆSTAS ADVERSA MVSÆ SVÆ.

Diſt. Muſa tepet tantùm, cum dira Canicula mordet:
89 Frigus vbi latrat, noſtra Thalia calet.

IRRIDET ALIQVORVM OBJECTIONEM.

Diſt. Quid tibi, dic, genero, haud ſi nata locata fuiſſet?
90 Quid? Socer haud eſſem, filia virgo foret.

QVID EX MVSA SPERET, CVM MINVS *calor ſæuiet.*

Diſt. Dum caluere dies, tàm paucis carmina ſi tot
91 Scripſimus, en quid erit, frigus vbi incipiet?

EXCVSAT EPIGRAMMATA, SI QVÆDAM *longa ſcripſerit.*

Diſt. Diſticha nunc tibi do, ſi longa Epigrammata quædam
92 Scripſero, longa tibi nec tamen illa puto.

DIFFERENTIA OBITVS EX DISCRIMINE *Vitæ.*

Diſt. Præmatura Auguſto mors, ſed tarda Neroni,
93 Contigit, hinc Reges diſcere multa valent.

BELLA JVSTA DEBENT ESSE.

Diſt. Bella nocent tandem cuiquam juſtiſsima ni ſint,
94 Non Dux eventus, dirigit hoſque Deus.

RES AB EVENTV NOMEN SORTIVNTVR.

Diſt. Principium cœpti poterit caſu eſſe beatum,
95 Res at ab euentu nomina ſemper habent.

AD PRINCIPEM.

Diſt. Ne, Princeps, timeas, ſervat tutela Potentis,
96 Incaſſumque homines cœpta cruenta parant.

MERITIS FAMA, NON INVIDIA PARATVR.

Diſt. Ne famæ invideas, fueris ſi hanc dignus habere,
97 Non hæc invidia quæritur, at meritis.

*** *** ***

QVÆ

QVO BENEFICIO DEVINCIATVR GENERO.


Quo genero tenear mihi ſcis, & quid dedit ille? *Diſt.*
Nata ſit vt genitrix, dicar avuſque cito. 98

IN QVOSDAM MERCEDE CONDVCTOS aliorum famæ inſidiantes.

Sunt ſoliti quidam, quoſdamque necare ſoluti, *Diſt.*
Sunt alij famam quoſque necare juvat. 99

QVOD HÆC CENTVM DISTICHA DENIS omninò die bus, aut potius horis conſcripſerit, cum inter octo dies non integros ea abſoluerit. *Diſt.*

Diſticha jam centum nobis conſcripta fuere, 100
Noctibus hæc denis addita ſumma fuit.



DISTICHORVM

LIBER SECVNDVS, ET EPIGRAMMATVM VNDECIMVS.

AD MVSAM DEPRECATIO.

Altera jam centum, deniſque parare diebus *Diſt.*
Diſticha mens fuerit, cœpta Thalia fove. 1

DISTICHVM PROGNOSTICVM.

Sæua Cohors iterum, fruſtra ſed Caſtra Tonantis *Diſt.*
Impetit, illa ruet, fulmine trita Iouis. 2

ALTERVM FERE EIVSDEM SENSVS.

Ferrea nunc ætas armis & ſanguine dira, *Diſt.*
Invitis furijs, aurea ſæcla trahet. 3

QVOD VEL BONVM EST, DESIDERARI SINAS.

Conveniunt cunctis haud pabula cuncta palatis,
Nec ſi conveniant, hæc tamen vſque dabis. *Diſt.* 4

NEMO PRVDENS HABENAS LAXET IRÆ.

Dist. Nemo ſuæ prudens iræ laxarit habenas,
5 Quo brevior fuerit, ſit minus illa nocens.

IN ALIQVEM DICENTEM QVOTIDIE abiturum.

Dist. Tu quacumque die remanens, te dicis abire,
6 Lente feſtinans, ſic ſapienter agis.

IN ALIQVEM SE IRRIDERI NON AGNOSCENTEM.

Dist. Luſi, nec noſti, cur te cum ſeria tractem?
7 Noſcere an illa queat, qui nequit ille jocos?

IN ALIQVEM NON CLAVDICANTEM, ſed illepidè incedentem.

Dist. Paſsibus en æquis fuero te incedere faſſus,
8 At lepor eſt nullus greſsibus ecce tuis.

SOCER IN GENERVM.

Dist. Cur natæ gener arridet, mihi diſplicet ille?
9 Scilicèt ille vir eſt, filia non ego ſum.

EJVSDEM IN EVNDEM.

Dist. Non generum legi, legit ſed nata maritum;
10 Non foret ille meus, ſi foret illa mea.

NON QVOD NOBIS ALIQVID CONCESSVM ſit, ideò aliud petendum eſt.

Dist. Eliciendà tibi ne ſit vi quæque petatur,
11 Gratia ſufficiat, quæ modo facta fuit.

EX COMMISERATIONE AMOREM NON extinctum infert.

Dist. Planxiſti, planxi illicò, te doluique dolentem;
12 Non jacet extinctus, corda ſed vrit amor.

IN DOLOSVM, DOLIS DECEPTVM.

Dist. Æquo quiſque dolum præfert, non decipit ille,
13 Deceptuſque dolis, cum perit ipſe ſuis.

AR-

ARDVVM OMNIBVS SATISFACERE.

Ardua res factis est, credito, cuique placere, Dist.
Jus modo non lædas, cætera lætus age. 14

AD AMICVM, AMENTEM CORRIGERE *tentantem.*

Vt demens sapiat, frustra tentaris, amice, Dist.
Quod Deus ipse potest, ne aggrediaris opus. 15

MOLESTISSIMA RES STVPIDVM EDOCERE.

Res bene discentem fuerit pergrata docere; Dist.
Instruere at stolidum res quoque dura nimis. 16

COR HOMINIS HOMINI IMPENETRABILE.

Cor hominum patet vt, cum sit penetrabile paucis, Dist.
Crediderint plures se penetrare tamen. 17

CVR PLVRES NON CORRIGVNTVR.

Multorum quæso cur non expungitur error? Dist.
Scilicèt erroris quis reus esse putat? 18

FACILITATEM SCRIBENDI, VT ALIBI *innuit.*

Quod numero signem, pro facto Epigramma tenebo: Dist.
Signaturque prius, scribitur inde mihi. 19

IN JVVENES AVDACTER SENES *increpantes.*

Ne factis senium juvenes, dictisve repugnent, Dist.
Vt sapiant faciunt, desipiuntque modo. 20

INCREPAT NOBILEM AMICVM.

Pro constanti equidem mihi querit Codrus haberi; Dist.
Si velit at, rogo, cur non facienda facit? 21

INGENIVM SINE PRVDENTIA INSTAR *opum Prodigo.*

Ingenium prodest quid, si prudentia desit? Dist.
Profuso quod opes, qui male perdit eas. 22

IN PESSIMVM POETAM.

Dist. 23 Dum condis numeros, erras dum condere credis,
Namque grauis numeris, non numerosus ades.

QVOD QVIDAM AB VSV CONSILIORVM
resipuerint, sibi gratulatur.

Dist. 24 Gratulor ecce mihi mea jam quod pharmaca prosint,
Amentesque prius, quod sapienter agant.

MISERATVR, QVOD SVA MEDICAMINA
Cunctis non profuerint.

Dist. 25 Utilia haud cunctis fuerint medicamina nostra;
Displicet, & miseror, noxia noxa magis.

AN ARDVVM SIT PELLERE GERMANOS,
Qui Cremonam ingressi, ex ea pulsi sint?

Dist. 26 Ardua res ne rogo campis depellere gentem,
Arce recepta, foris quæ cito pulsa fuit?

IN AMICVM INCONSTANTEM.

Dist. 27 Deseris obsequium, quo conciliaris amorem,
Non mihi fracta fuit, sed tibi rupta fides.

SOLITVS VIVERE PARVO, FORTVNAM
ridet.

Dist. 28 Rideo fortunam, solitus jam viuere paruo,
Proque decemque satis, cum duo plurima sint.

CVR IMPERIVM MINVS GRATVM SIT.

Dist. 29 Imperium gratum, esset mens si pluribus vna;
At nunquam, raro aut, contigit hocce viris.

FAVOR, NON MERITVM, COMMODA
parat.

Dist. 30 Utile non quæras hodie virtutibus æquis,
Cui faueant plures, hic modo plura meret.

DISCRIMEN NVLLVM INTER SÆCVLA.

Quæ novere prius noſcunt, & ſæcla Parentes, Diſt.
Hæc ſeniora modo, non meliora quidem. 31.

IN OBTRECTATOREM.

Quæ dare non poſsis, quare dic tollere tentas? Diſt.
Quod demas aliis, credis an eſſe tuum? 32.

AD AMICVM CVR NOLVISSET SCRIBERE
Lædis *pro* Ludis.

Pro *Lædis*, *Ludis*, ne ſit, ſi ſcripſero, mirum: Diſt.
Qui modo ludit enim, lædit & ille ſatis. 33.

IN FILIVM MATRONÆ, NON ADMODVM
Munificum.

Vt Viduam decet, vt decet Egregiamque Matronam, Diſt.
Sit puer inſtructus, ſit modo munificus. 34.

VERSIO QVORVMDAM CARMINVM A
Celeberrimo Camoens Poeta Luſitano Scriptorum,
quorum principium,
Os ruego que me digais, &c. Diſt.

Oras dumque preces fundis, mihi dicito amabo, 35.
Cæſis anne tibi, num tibi quæque necas?
Pro te, crede, Deo fruſtra tu fuderis illas,
Cædibus & pro tot, victima nulla ſat eſt.
Si cæſos oculis, dicisque litare precando,
Obque neces oras, curque precando necas?

SE QVAM SCRIPSERIT, PLVRA SCRIPTVRVM
inſinuat.

Accelerent Parchæ noſtrum ni forte receſſum, Diſt.
Tædeat haud Patriam, credo, dediſſe diem. 36.

MISERANS AMICVM, ALIOS, CASVS
ſuos miſerari docet.

Alterius quiuis ſortem miſeratur amici,
Edoceat caſus, ille dolere ſuos. Diſt.

NON 37.

NON QVÆ PATENT ARGVMENTA FVISSE
Scriptis, sed quæ potuerunt esse.

Dist. Materies fuerit scriptis non quæque videtur;
38 Sed fuit illa modo, quæque fuisse potest.

QVOMODO REGEM DILEXERIT,
refert Authori Nobilis quidam.

Dist. Hic fuit in Regem (quis ait) progressus amoris,
39 Arsi mente prius, postea corde meo.

LIBRI MENTI, NON EXORNANDIS ÆDIBVS,
Destinandi sunt.

Dist. Ædibus ornandis fuerint non nostra supellex
40 Libri, sed menti, quæritur illa modo.

AD POTENTISSIMVM HISPANIARVM
Regem nostrum.

Dist. Turmarum cecidit jam pars, quæ invaserit Orbem,
41 Invitis aliis, altera parsque cadet.

AD EVNDEM.

Dist. Jam Galli cantu, rugitu jamque Leonis,
42 Non volat, at repit, percita præpes Avis.

AD EVNDEM.

Dist. Vincito, prosequitor, magnosque referto triumphos,
43 Cœlitus & cæptum, dextera perficiat.

QVOD MVSA ALIQVANTVLVM EI
obniteretur.

Dist. Quæ te, Musa, mouet nostrum nunc spernere cultum?
44 Thure, rogo, nimio læderis anne Dea?

QVOD SIT AMICI OFFICIVM IN RVINA
imminenti.

Dist. Ad cladem quisquis contendere cernit amicum,
45 Non amat hunc, nisi vi, consiliove tenet.

NIL

NIL MODICVM CONTRA REGES.

In Reges modicum quid nemo agitaverit vnquam, *Dist.*
Verbaque qui faciat, verbera & ille dabit. 46

CVLPA LEVIS PRINCIPIO COMPRIMENDA.

Principio leuis est quæuis tum culpa secunda,
Ne gravior fieri tempore possit ea. *Dist.* 47

NIL PEJVS INIMICO OPERTO.

Pessima res equidem, noti si sint inimici; *Dist.*
Pejor at his, credas, hostis opertus erit. 48

NON A FALLACI DISTAT VAFER.

A fatuo ingenus multum haud distare videtur, *Dist.*
Fallaci vt vafer haud creditur absimilis. 49

AD ALIQVEM, QVOD AD VERBVM AVTHORIS, verba non scripsisset.

Authoris cujus dicta haud si scripsero cuncta,
Si sensum referam, dixero crede satis. *Dist.* 50

PRÆTERITIS GRATVS, FVTVRIS GRATIIS Dignum se præstat.

Vt grates refero, bene qui mihi fecerit olim, *Dist.*
Præteritis gratus, quæque futura paro. 51

IN ALTERVM SENSVM.

Grates non danti refero cum cuique daturo,
Rideo non tantum, sed simul ipse queror. *Dist.* 52

IN BELLVM HOMINEM.

Pulcher es, at talis cupias ne quæso videri, *Dist.*
Ne pulchram dicant, qui modo pulcher erat. 53

CVR NATA PVLCHRA DICATVR SVPELLEX pretiosa.

Pulchra puella patri fertur pretiosa supellex, *Dist.*
Seruatur pretio, mittitur hocque simul. 54

AD

AD AMICVM ÆGROTANTEM.

Dist. Si bene vis habeam, quæſo, deſiſte dolere;
55 Aſt vt non doleas, jam dolor omnis eat.

DOCTVS HOMO POST MORTEM VAS odoriferum.

Diſt. Doctus homo quiuis eſt inſtar vaſis odori:
56 Functi poſt obitum permanet ejus odor.

DECIPIT, QVI SPEM PROMISSIS protrahit.

Diſt. Promiſsis quiuis ſpem, qui protraxerit vlli,
57 Poſtea det quamuis, decipit ille tamen.

STELLA QVÆVIS MVLTO MAIOR Orbe.

Diſt. Stella minor quæuis ſit ſi prægrandior Orbe,
58 Vrbs quid? Quid Regio? Dic, quid & Orbis erit?

MVNDVS INSTAR SCALARVM.

Diſt. Inſtar ſcalarum eſt nobis hæc fabrica mundi,
59 Deſcendunt alii, hi ſcandere dum properant.

DE CASTRIS HOSTIVM, QVIBVS NOMEN Victoria.

Diſt. Caſtra fuere hoſtis, queis hoc Victoria nomen,
60 Eiecto ſed eis nomine jure damus.

IN PRÆCIPITEM EX PARTV OBITVM Celſiſsimæ Fœminæ Ducis à Seſſa.

Diſt. Inclyta jam fato ceſsit Proſapia Regum,
61 Præque dolore nequit dicere Muſa magis.

IN ALIQVEM NOMINE COSMVM, hoc nomine indignum.

Diſt. A Coſmo Coſmus non ſane nomina ducis:
62 Coſmus munda refert, tu modo fœda refers.

*** *** ***

IN

IN ALIQVEM INGENVIS ARTIBVS
Præditum, sed avarum. Dist.

Omnia possideas, queis possis Celsus haberi, 63.
Plura tenens, posses si minus esse tenax.

IN ALIQVEM NATV MAJOREM,
sed stolidum.

Quod natura negat natu majoribus vsque, Dist.
Vt quod es, esse sciant, non tibi cauta dedit. 64.

IN EVNDEM.

Nullus vos fratres, ignorat, & ordine certo; Dist.
Major vt es natu, sic minor ingenio es. 65.

AVTHOR DE DISTICHIS QVINDECIM
diebus scriptis.

Disticha bis centum potui ter quinque diebus Dist.
Scribere, si sit opus, mille ego condiderim. 66.

LABOR SIMVL MENTI, ET CORPORI
vtilis.

Otia dum fugio, causas nectoque labori, Dist.
Mens mea luce nitet, corpora nostra vigent. 67.

AB ANNIS DVCENTIS REGES MILITARE
non visi. Laudativum, & Prognosticum.

Centum, ni fallor, nobis fluxere bis anni, Dist.
Ex quo Rex noster belliger ipse fuit. 68.
Tot si belligerant ipsi post forte per annos,
Materies belli nulla manebit eis.

IN NOBILEM PVERVM VERBIS FALLERE
assuetum. Dist.

Verba puer dederis multis, nil verbaque præter, 69.
Tempore sicque brevi fallere doctus eris.

IN ALTERVM MOROSÆ ADMODVM INDOLIS.

Si tibi, qui servit cura hunc majore lacessas, Dist.
E Domino breviter, credo, tyrannus eris. 70.

JOCOSVM, ÆQVIVOCVM ET SATYRICVM.

Dist. Æstus erat vehemens, tamen haud sum passus ab illo,
71 Vndique flabat enim fœmina quæque vetus.

AD AMICVM NEGLIGENTEM.

Dist. Pauca tibi, memini, necnon mandavero sæpe,
72 Quid si multa forent? Hæc quasi nulla putes.

OCVLORVM SVORVM JVDICIO DEFORMIS quæque pulchra est.

Dist. Orba oculis videat quamvis est fœmina quæque,
73 Fœda licet, sibi enim pulchra videtur ea.

CVR MALA CVNCTA FERE FACTA SINT fœminei generis.

Dist. Fœminei generis mala cur, dic, facta fuerunt
74 Cuncta fere? vt referant scilicet ipsa malum.

AD COELIAM VALDE SEGNEM.

Dist. Cuncta facis lente, & tam lente, Cœlia, viuis,
75 Vt te non reputem posse repente mori.

AD AMICVM, CVIVS ÆDIVM REGIO alta nimis calore ferveret.

Dist. Igne premi nolo, nolo sudore resolvi:
76 Sic nisi te visam, parcito quæso mihi.

AD ELOQVENTISSIMVM ORATOREM Sacrum, cujus longa licèt, placuit oratio.

Dist. Displicuit semper, doctus quamvisque, disertus
77 Orator fuerit, si nimis ipse loquax.
Est quauis alia tua sed facundia major,
Quæ quauis alia longior vsque placet.

AD AMICVM, QVI TARDE AVTHORI merendam afferri jusserat.

Dist. Illa merenda quidem fuerit, nec cœna parata:
78 Quæ tibi lenta nimis, promptior atque fuit.

AD

AD LECTOREM.

Lector amice, tibi me si laudasse videbor, Dist.
Quod decus haud meream, demito quæso mihi. 79

AD ARCEM A GERMANIS OBSESSAM.

Arx nondum cecidit fera, cui tot pila minantur: Dist.
Si steterit, decus hinc: si cadet, hinc & honor. 80

SATIS LÆDIT, QVI LÆDERE CVPIT.

Non læsisti equidem, me quod non lædere posis, Dist.
Lædere te satis est me voluisse tamen. 81

CONSTANTIA IN AMICITIA.

Diligitur semper semel est, qui dictus amicus, Dist.
Si dederim quod ei, nomine dignus erit. 82

PAVCI ADMODVM CONSTANTES ANIMI.

Constantes animi pauci quam tempore nostro, Dist.
Credo, & præteritis ipsa querela fuit. 83

JVSTI ERGO, SATIVS PERIRE, QVAM *ob iniquum vitam sine honore servare.*

Ob justam causam satius censeto perire, Dist.
Quam quid ob injustum, viuere honore sine. 84

NVLLVM MAJVS PERICVLVM, QVAM *fœmina pulchra.*

Dicitur vt nobis, si sunt vitanda pericla, Dist.
Est fugienda quidem fœmina pulchra nimis. 85

DE VI CALORIS QVERITVR.

Est æstate quidem nobis hæc dirior vlla, Dist.
Cujus Castaliis obstitit æstus aquis. 86

AD MAGNATEM, QVI LÆTARI DICEBAT, *vt minus laboraret Author, quod præ calore scribere non potuisset.* Dist.

Lætaris, Princeps, quod dira Canicula nostræ 87
Obstiterit Musæ, & præ Cane nulla canat.

Hac tamen inuita pro te si carmina poscam,
Innumeros mihi tum Musa dabitque modos.

AD POTENTISSIMVM REGEM NOSTRVM.

Dist. 88 Dimidium facti, bene si qui cœperit, ille
Semper habet, desunt Rex tibi nulla fere.

EPIGRAMMA MYSTICVM.

Dist. 89 Ecce salutiferæ herbæ sunt hic, suntque venena;
Deme sed ista modò, cætera sana manent.

AD VETVLAM DEFORMEM, QVÆ OLIM *formosa admodum fuerit.*

Dist. 90 Num vobis oculi credam? quæ visa sit olim
Pulchra super Venerem, turpis Erynnis adest!
Sic perit omne decus? sic transit gloria formæ?
Annis terque decem est, vmbra nec ipsa sui!

QVÆ VITA SIT MORTI SIMILIS.

Dist. 91 Vita ne scire velis ea, quæ sit proxima morti,
Spes, quæ lenta venit, sit bene nixa licet.

IN INVIDOS.

Dist. 92 Invidus invidiam tantum post fata relinquit;
Vt teneat, cupio viuere perpetuò.

IN REVM AVDACEM, PETVLANTERQVE *minantem.*



Dist. 93 Audeo, tuque times, pauidus semperque minaris;
Vsque minæ deceant criminis anne reum?

AD CANICVLAM.

Dist. 94 Quin vires minuat, nunc nostra Canicula fervet;
Quam minuatque prius, credo minutus ero.

AD QVEMDAM MAGNATEM.

Dist. 95 Quinque mihi debes, summa ex majore recordor;
Nam data tu gratis non numeranda putas.

RECTVS ANIMVS NVLLA TIMET.

Rectus vt eſt animus, poſſum non vlla timere; *Diſt.* 96
Incedat pauidus, lubrica cui via ſit.

QVOD INGENIVM, ET QVÆ SCIENTIA placeat.

Quod placet ingenium ſcis, grata ſcientia quæque? *Diſt.*
Quod nihil impugnat, quæ ſimulare ſciit. 97

INTEGRITATEM CAPITIS DESIDERAT.

Fabrica noſtra quidem nulla eſt nunc ſaucia parte: *Diſt.*
Oro Deum, nunquam culmine læſa ruat. 98

AD AMICVM.

Poſt tempeſtates videas aliquando ſerenum, *Diſt.*
Suppliciterque roget, qui jacit ore minas. 99

AD ALIQVEM MEMORIA, NON MENTE, valentem.

Noſceris ex ſcriptis plures volviſſe libellos, *Diſt.*
Pluribus ex lectis nec patet ingenium. 100

AD EVNDEM.

Diuitiæ tibi ſunt, bene ſed non vteris illis, *Diſt.*
Pauperior ſapiens, ditior ipſe fores. 101


MALVM IPSVM LONGO HABITV tolerabile.

Ferre malum ſolitus, jam dudum tempore multo, *Diſt.*
Ferre bonum nequeam, ſi tolerare velim. 102

FORTVNA SÆPE CVPITA, SI SENI ADVENERIT, ingrata.

Grata foret juveni mihi ſors, nec ſæpe cupita; *Diſt.*
Aſt optata ſeni grata venire nequit. 103



EPIGRAMMATVM LIBER DVODECIMVS, ET PHALAICORVM VNVS.

NON AMORE MATRIS, SED TÆDIO SVI Arnaldum mortuum affirmat.

Epigr. 1

FAllis, falleris, & simul, putas cum
Præ matris studio cadente fato,
Arnaldum cecidisse, num jocaris?
Hoc nam credere fas erat modo, si
Matris post obitum perisset ille,
Extincta stetit at diuque vixit,
Et tandem patiens ferè per omnem
Vitam, hanc finiit haud amore ductus
Matris, verum odio suique multo.

QVERITVR DE ADVERSÆ SORTIS constantia.

Epigr. 2

Tristis nulla dies videtur vnquam,
Quæ quamdam speciem ferendo lucis,
Aut lætæ magis, aut minus molestæ,
Non sic tristitiæ leuet dolorem:
Sic sors non manet vna, nec per omne
Æuum; quod grauis hæc sit vna durat:
Infortunia sic levare nostra
Mos est, fixa tamen maligna sors stat.

AMANS NON REDAMATVR, NEC REDAMAT amantem, quod naturæ vitio imputat.

Epigr. 3

Dum pulchram ardeo fœminam, nec illam
Vt vellem, satis allicit nec vrit
Pro votis amor, ecce deperit me
Haud formosa minus, minus sed illa
Nobis conveniens, modisque grata:
Naturæ vitium! Placet repugnans,
Cedens displicet, adjuvansque lædit.

PER-

PERTVRBATIONEM ANIMI EX AFFECTIBVS *insimulat.*

In partes varias, rapit precor me Epigr.
Quò mens nostra agitata mille formis? 4
Unus sic videor referre plures,
Et fluctus speciem, putansque stare,
Hinc, illinc moueor, quietis orbus.
Cur hostem timeam, precor foris, cum
Intus sæuior, vsque torqueat me,
Tortoremque mei feramque mecum?

CVR, CVM FELIX VIDEATVR MVLTIS, *de sorte queratur?*

Cum tristis, rogitas, querar nec vt fas Epigr.
Est, jam sorte mea beatus alma, 5
Non contentus, agam, daturus vltro
Grates haud minimas? Placet referre.
Optanti nihil, ecce cuncta desunt;
Verum cum cuperem, beatus vsque
Degebam, semel vt cupido nulla,
Mors tum vita fuit ministra pœnæ
Non jam delicii, solebat ante vt;
At cur non cupiam, rogabis, ex me?
Audi, fracta negat quod apta vita.

NON STVDIO PLACENDI TANTVM, *sed displicendi metu, probat amorem.*

Quantus scire cupis sit ardor in te, Epigr.
Noster quantus amor, referre vellem, 6
Si possem facilè at magis sit vri,
Ignis quam minimam referre partem,
Quod posim tamen exequi placebit:
Non tantum cupiam tibi placere
Est, ne displiceam æqua cura nostra, &
Signum clarius est amoris istud.

PERPENSIS ÆTATIS PROVECTÆ INCOMMODIS, juniorem, licèt laboriosam, desiderat.

Epigr. 7

Felix ecce queror, redire primam &
Nunc sortem cupio laboriosam,
Nam gratus labor, & sui levamen,
Pœnas tunc minuens, rependit alma
Curæ prœmia, nunc negata nobis.
Ætas abstulit, insolens referre
Ætas quæ dederat, deditque multa
Queis, esset melius carere cuique.

INGENIO VIM NON ADHIBENDAM ESSE, & quare.

Epigr. 8

Ne quæso ingenium putes, velisque
Fræno astringere liberum, sed illud
Linquas jure suo, suisque semper
Vti moribus: hoc enim memento,
Ni tu feceris, illa quæque scribes
Vim illatam referent, putasque famam,
Dum sic conciliare, decipit te
Spes, risumque modo movere cernis;
Naturam arte juves, premas caueto.

IN INDOCTVM, VANVMQVE MAGISTELLVM.

Epigr. 9

Te, si quis cupiat brevi docere,
Verbis sæpe mones, monesque scriptis,
Necnon signa adhibes, quibusque dicta
Affirmes tua, sed labore vano,
Proventuque leui, annuente nullo:
Nec mirum, vt bene nam queas docere;
Ni fallor, prius expedit scias vt,
Verum an discere tu queas sciendum est.

IN LÆDAM, AVT VERE TIMENTEM, aut sub timoris specie cupientem. Dilemma Satyricum.

Epigr. 10

Aut tu, Læda, times, timere vel tu
Fingens, damna refers, quibus nec vllus
(Quem lugere videris) impetitum

Cen-


Censet, tu nisi. Sed timoris audi,
Quod nunc judicium tui sit omneis:
Si verè timeas, fateris hocce
Non rerum meminisse, si modo autem
Fingis, quod cupis, immemor videris,
Atque oblita boni prius recepti.
Inde ignara pates, parum hincque grata:
Sunt quò vertere te velis, pericla.

CVR AMICO ROGANTI, QVID SID DATVRVS, promittere nolit.

Quid dem, post data, me soles rogare; Epigr. 11
Opto dicere, sed timor vetat mox,
Nec mirum tibi sit, sed audias cur.
Si tu forte scies enim, daturus
Quæ sim, jam subito petas & illa
Tantum vt debita. Faxit at Deus ne
Quæ præstare queo volens, meaque
Tantum sponte, coactus ipse patrem;
Et facti meritum, sciensque perdam.

PHILIPPI QVINTI A FRANCIA, HISPANIARVM Regis, non nisi fama cogniti, sed à Populis præ omnibus dilecti, laudatio.

Nondum cognitus es, nisi volatu Epigr. 12
Famæ, quæ ore suo ratum per Orbem
Præstat quidquid ait, ferens & alis,
Quo posit citius relata ferre:
At viso tibi, cognito nec ante,
Si jam major honor, decusque majus,
Quam cuiuis habitum sit, hìc habetur,
Quo cum notus eris, colent te honore?
Et si te invenient tua altiorem
Fama, quid facient? quis oro cultus?
Te laudare satis queant & illi,
Si non posse satis, fatentur ipsi.



Epigr. 13 Injusti fuerint duo, vel addo
Et tres, si ipse voles, quid inde tandem?
An jus nunc ideo cadit, peritve?
Prorsus ridiculum hocce credidisse.
Non quæso est reparanda jure, si quæ
Lex injustitia, semel sit, aut bis,
Aut ter læsa? satis ne sit tulisse,
Quæ sunt vulnera facta jam cruenta?
Et quæ lata prius, ferenda semper
Forsan credideris? Sed hocce peccas,
Et quicumque animo ferat graui jus
Læsum restitui, illud ipse lædit.

IN ALIQVEM CENSVRÆ IMPATIENTEM, *& male tamen scribentem.*

Epigr. 14 Dum laudant te, alacris videris vsque;
Damnante ast aliquo, tumes & ipse:
Vis laudarier ergo cuncta, nulla
Damnari tua? consequaris hoc vt
Nec si cuncta facis probè, satis sit;
Quid si plura facis probanda nulli?

EPIGRAMMA INTELLECTV FACILE.

Epigr. 15 Qui recturus erat, novusque rector,
Qui nobis dominatur, integro Orbi
Dignus qui dominetur integrum, & qui
Atlantisque modo, vnus ipse portet,
Jam gratus populis, nec ante visus,
Vt visus fuerit, semelque notus,
Cunctorum studium sibi parabit;
E Cœlisque Themis revertet isthuc,
At spes, vnde refer? Placet referre.
Si promittit vti, suis dat aures,
Nam tum contineant manus ministri.

EX TEMPORVM DISCRIMINE ARGVIT
in aliquo vrbanitatis differentiam.

Olim notus eram tibi esse nunc vt Epigr. 16
Possum, notus at haud tibi videbar:
Sed non major eras, minor nec ipse
Tempestate fui, probèque nosti vt;
Cur comem magis ergo præbeas te?
Cur discrimen & hoc videtur in te?
Tunc quod tu poteras nocere nobis,
Nunc prodesse tibi quod ipse possim.

LECTVS SINE SOMNO TÆDIOSVS,
& gravis.

Non indulgeo sæpius quieti,
Indulgere tamen velimque sæpe, Epigr. 17
Hæc contraria sed videntur esse,
Sensus congruit at, modoque cernes;
Nam vado cubitum quietis almæ
Dum tantum studiosus, vlla vix est
Qua sit pœna diurna mollienda,
Est lectusque mihi, laborque major
Est somno sine tortor, est malumque
Præ quovis alio magis molestum
In lecto vigilare destinato
Somno, quo sine, non quies sit vlla.

EX REGIS EXEMPLIS, AVT LEGVM POENIS,
omnia in melius mutatum iri sperat.

Cuncti si faciunt, Herus quod ipse, Epigr. 18
Exempli titulo, suis ministrat,
Quam mutata quidem breuique cuncta,
Quam rarò vitium, frequensque virtus!
Sed plures rogo forte si repugnent,
Exemplò vt poterit tot inter esse,
Non noster Dominus modo est benignus,
Est, tu nec dubites & æquus ille,
Exemplumque nisi sat esse posit,
Jus tunc auxilium dabitque pœna.

NON SAT EST VT QVIS DICATVR FELIX; *quod malis prematur nullis.*

Epigr. 19
Non vrgente malo, aut premente fato,
Sano & corpore, me putas beatum
Omni ex parte, quasi salus sat esset;
Ut felix habeatur inter omnes
Quiuis. Ridiculus sed error iste,
Nam qui tristitia, & dolore mentis
Vexatus fuerit, valet ne quæro?
Multò dira magis, magis cruenta,
Quæ non sustineas, loquaris ægre.

FERE EJVSDEM ARGVMENTI.

Epigr. 20
Dicebam meritò prius, quod inter
Morbos quosque graues, graues supra sunt,
Qui vexant animum, dolore quique,
Et si haud corporeo, valent necare;
At tunc, inficians mihi alter, inquit
Morbis corporeis obire plures,
Num quisquis videat, quod haud frequenter,
In morbis animi evenire cernas?
Sic est. Ast obeunt modo haud eodem,
Lentè illi moriuntur, hi repentè,
Et funesta magis videto causa
Quæ sit, vel referat tibi ipse casus.

EX CVJVSDAM IMMINENTIS FORTVNÆ *Specimine, se dupliciter infelicem arguit.*

Epigr. 21
Jam nunc sors mihi se fauere velle,
Monstrat, præcipites fluunt vbi anni,
Nec spes esse potest diù salutis,
Quæ vexata malis, minatur vsque
Horrendum excidium, brevemque casum!
Sum bis, ecce miser, senex beatus,
Non concessa prius fuisse nempe,
Et tollenda brevi esse, modo sint.

*** *** ***

IN MALE STANTEM PROMISSIS.

Vt nutu, ore quidem videris & ſi — Epigr. 22.
Ridens, & facilis petita quæque
Largiri, expedit vt manu probare
Quæcumque ore jacis, gradu videris;
Tam lento officium tuum replere,
Vt vix longa ſatis ſit vlla vita,
Qua te ſtare tuis videre nemo
Promiſsis queat, vnde jure dicam,
Verbis magnificum eſſe neminem vllum;
Quam tu, re magis eſſe ſordidum nec.

NON VT ANNI, CVJVSVIS ÆTATIS VIRES reparantur.

Vt Ver jam renovatur, & redux eſt, — Epigr. 23.
Non ſignum manet ardui laboris,
Quo dum durat Hyems, prematur arbor;
Naturæ hocque leuamen eſt in annis,
Autumnoque redit, ſeges fuit quæ
Jam demeſſa prius, redibit vtque
Poſt hanc altera; ſed viris reſurgit
Non ætas ſimilis, nec vt videre eſt
Hoc anno reparatur annus iſte,
Quo pluresque fluunt, ſumus minores;
Nam vires, animumque lædit ætas,
Et quin nos reparet, necare novit.

IN SVPERBVM, QVI DETECTO CAPITE alloquebatur, ne alii ſuum operirent.

Detecto capite alloquens videris — Epigr. 24.
Semper, nec tamen inde cenſearis
Urbanus magis, aſt magis ſuperbus;
Sed quare? Referam, loquatur omnis
Optas namque, modo loquaris ipſe
Quo, cognoſcitur vnde te moueri
Cauſa vna propria, cadente quaque;
Vel tantum ſemel, haud tibi ſit vlla
Poſt hac ſolicitudo comitatis,
Et centum capiti applices galera.

IN FAMVLVM, ET HERVM INGENIO dissimiles, sed vtile decori anteferentes.

Epigr. 25

Si qualis dominus, sit inde talis
Et servus quoque (sermo tritus vt fert)
Omnis jam tua fama nunc peribit,
Non quod vir probus haud sit, vt fatentur
Omnes, ingenio, sed vsque tardo
Quod sit, nemo negare quod valebit;
Et juste ante feras viri sagacis
Famam, cuique bono, sed audio te
Dicentem, vtile præferam decori:
Sic sentis? bene dixeris quidem, jam
Te dignum domino, tuumque herum te
Dignum censeo, vos pares & estis.

IN ALIQVEM IMMERITO QVERENTEM de ablato munere.

Epigr. 26

Ablatum tibi munus est, vt aures
Percepere meæ, & simul relictum
Ad victum satis, & labore nullo.
At tristis tamen es, nec ipse lætus:
Non est vna tamen doloris hujus
Nostri causa quidem, quod abstulere
Luges immerito, quod haud datum sit
Nobis lugeo jure, præmiumque
Hoc lictum tibi, pœna quod quasi sit;
Concessum mihi, sit leuamen ingens.

NON FLENDVS, SED RIDENDVS, QVI CVLPA sua miser est.

Epigr. 27

In me quod fuit, & datum exequi sit,
(Vt nemo dubitat) patrare noui;
Et solers, nec iners adesse visus
Sum, rebusque meis, vt & decebat:
Sorti at non placuit labori adesse,
Sic sum pauper ego, miserque factus;
Non culpa miserum fleas, amice,
At culpa miserum simulque ride.

❀❀❀ ❀❀❀

IN

IN ALIQVEM IGNARVM, SEQVE SAGACEM *reputantem.*

Tardo diuitias ego æmulari Epigr. 28
Nesciui decus vt nec apparatum
Cœca sorte fauente, non labore,
Non sudore simul, nec arte justa.
Ast illi inuideo tamen, quid, & quod
Sit, paucis referam, quod ille tardus
Omni tardior hic sagaciorem
Se quovis alio putat, refertque.

IN AVDACES QVOSDAM POPVLOS, *Epigr. Mysticum.*

Audacter rogitant vt assequantur, Epigr. 29
Hi plenique metu audeant minari,
Essent forte minæ, quasi rogatis
Certi tumque modi, viæque justæ,
Mortales quibus obtinere possint
Ab summo Ioue. Sed quid inde quæso?
Risit Jupiter, & petita spernens,
Qui nutu modo cernit integrum Orbem,
Flectit tumque suo, regitque quò vult,
Annis indigeo, refert vt ipsa
Tantum lustrem oculis petita vestra;
Ira dumque putant eum mouere,
Ridens consilium, piusque plectens,
Hæc pro fulmine verba sola misit.

IN DIVITEM, ET MVNIFICVM, SED *Invidum.*

Magnæ diuitiæ, tibi decorque Epigr. 30
Non parvus simul, & simul celebrent
Tum vires animi, tuamque mentem,
Est demum facies decora multum;
Signa & plurima das benignitatis,
Nec parasse tibi videris ipse,
Cum sit larga manus fauere prompta;
Lucet forma satis, superque pulchra;
His at cumque bonis tamen velimus

Te

Te sane haud redolere, cur, rogas me?
Audito. Inuidia premi sciunt te,
Hæc virtutibus obstat, hasque vertit;
Quæro. Quod fouet has, nocensque vito.

IN ALIQVEM, NEC AMICOS AMANTEM, *nec vxorem redamantem.*

Epigr. 31

Haud conjux amat, haud amant amici,
Nec mirum tibi, namque vtroque dignus
Est, cum sit nec amans, sit haud amicus,
Et conjux cupiat, velintque amici,
Ostendi sibi signa amoris illa,
Isti tum studii darique signa.

IN FOEMINAM MOROSAM, NEC AMANTEM, *nec amari volentem.*

Epigr. 32

Pro votis tibi, dic, amabo, quisnam
Det quod tu cupias, modoque quo vis?
Non optas odium, simulque amorem
Vitas tu quoque: res videtur hæcce
Prorsus mira quidem, & stupore plena:
Aut nos diligito, aut velis amari,
Nostro sis odio, vel oro digna.
Tu nobis medium negare cesses
Cum, vel si renuas, obesse frustra
Tentes, posteriusque ne oro quæras,
Cum sis digna coli, vt Venusque pulchra.

IN FATVVM ROGARE SOLITVM, NVM *quod diceret, mente tenerent.*

Epigr. 33

Tu faris quoties rogare mos est
Mentem num ne tuam valent tenere?
Respondent alii, annuuntque cuncti:
Sed te decipiunt, & audias cur,
Cum te non teneas, quis oro posit,
Quod non ipse tenes, tenere mente?
Quis quæso capiat, capi quod vsquam,
Credo vlli nequit abnuente nullo?
Et si te capias, rogo te vt ipse,
Quæ tu scire putas, velis docere.

AD POTENTISSIMVM GALLIARVM REGEM *Ludouicum nomine Magnum, rebus Maximum.* Epigr. 34

Cum non bella geris cruentiora,
Multò sic geris, hostibusque dira;
Sic spernensque minas, timoris expers,
Cunctis incutis haud parum timoris:
Si tantum capite, artibusque terres,
Armis quid facias? quis oro dicat?
Et quem fulmine nescias ferire?
Arcem qui Iouis aggredi fuere
Ausi, nunc timeant perire pulsi
Solùm haud sedibus, obrui, sed illis
Jam rupto aggere, qui maris solebat
Æstum, vt carcere continere pressum.

NON VERA TANTVM LÆDVNT, SED QVÆ *dicuntur, vt noceant.* Epigr. 35

Lædunt vera modò, fatentur hocce;
Non falsa ergo queant nocere cuique?
Hoc non conjicias, secus se habet res.
Quo pacto, precor? Audias vel ista.
Non lædit modo, qui nociva dicit,
Aut qui criminis arguatque veri.
Lædit, falsa licet loquatur ille,
Si falsis cupiat mihi nocere.

IN INVIDVM, QVI PLVRIMA LAVDARI DIGNA, *quæ viderat, laudare tamen nolebat.* Epigr. 36

Omnes, quod celebrant, probare non vis:
Vidisti tamen, & probanda cunctis,
Et vidisse satis, fateris vsque;
Sed dum visa negas, probanda nobis,
Aut visa inficiaris esse nota,
Et te lumine sic fateris orbum,
Aut si visa tibi fuère nota,
Dum contraria prodis, es malignus.

IMMERITÆ LAVDES PRO CONVICIIS reputandæ.

Epigr. 37
Vos, dum laudibus efferunt, ſuperbi
Facti, tumque animis tumentiores
Eſtis, tunc ideo modeſtiores
Cum vos eſſe deceret, hoc iniquum eſt.
Num vos ergo putatis eſſe tales,
Quales publicat, aut ſequax favoris,
Veſtram quique modo ore quærit auram
Captare? at ſecus inde colligendum eſt.
Qui verbis faveat nimis, nocet re,
Laudeſque immeritæ, probri loco ſunt.

IN FOEMINAM INCONSTANTEM, ET MOROSAM, ſed ob alias dotes amari dignam.

Epigr. 38
Audes, moxque times, breuique ſperas;
Spernis, moxque faues, negas, ſtatimque
Concedis, prius & negata quæque
Das, nec ſæpe rogata, quin petita
Interdum, quoque fortius negare
Tu perſæpe ſoles. Satis quod eſſet
Vt quæque altera diſplicere poſsit;
Sed tu ſola places, & vnde dicam.
Tu præ quaque alia venuſta Chloris
Et formoſa ſimul videris æquè,
Quod cuivis alii eſſe noxa poteſt,
Eſt virtus tibi digna cuique amari.

IN IMMERITO QVERENTEM.

Epigr. 39
Quod non ſis mihi charus, eſſe vt optas,
De me conquereris, ſatis, ſuperque;
Propter te at, facio, rogo, ne multa,
Cauſa quæque mei patrare nolim,
Aut ſaltem dubitem patrare ſæpe?
Non ergo querere, & fatere tandem,
Me non eſſe reum, vel eſſe tantùm,
Spreto ſancta docet, quod ipſa quemque
Natura anteferam mihi, quod ipſe
Te poſt quique ſoles habere quemvis.

IN IMPIE, ET INJVSTE HERVM *arguentes.*

Discerpis dominum, inde perduellis, *Epigr.*
Insontemque reus lacessis illum, 40
Dictis perpetuis, nimis nefandis:
Peccas sic in eum, ille peccat in nos,
Audax dum laceras eum, benignus
Dum parcit tibi, cum foret sat æquum
Exemplum dare cæteros coercens,
Indulgentia namque præbet ansam
Culpæ multa nimis. Tenebit illam,
Qui pœnam irroget impio cruentam.

AD MVSAM, QVOD IN MEDIO OPERIS *hujus cursu recedere videretur.*

Cur dic Musa taces? Placet ne quæso *Epigr.*
In cursu medio tenere gradum? 41
Et promissum opus an licebit vlli
Infectum retinere saluo honore?
At Prouincia, dicis, *ecce nobis,*
Est suscepta nimis laboriosa.
Præstabat prius, vt licebat ista
Maturè omnia ponderare, verùm
Quæque emissa semel fuere, sunt &
Hæc, causá vel honoris exequenda.
Mercedisque tuo satis labori
Credas, gloria si sequetur illum.

AD EANDEM IN ALIQVEM POETAS *mordentem.*

Jam contenta pati, decus modo sit *Epigr.*
Quod promitto laboribus quod & non 42
Illis defuit, ecce jam libenter
Non promissa modò exequi parata es,
Verùm si expedit, exigove plura,
Haud tu Musa negabis, ergo spires
Et quæso faueas ad vsque finem:
Tu non pauca dabis, lacesseris si
Opto vt carminibus tuis, vt & par

Eſt ſtultum caput illud, impiumque,
Cui mordere placet, nequit ſatis quos
Efferre elogijs, quod inſcium ſit,
Et laudare negetur inſcio, quod
Ignoti ſubit vt cupido nullum.

AD EVNDEM, ET IN EVNDEM.

Epigr. 43.
Es diues, fateor, quid inde? Credis
Ad nutum tibi cuncta jam venire?
Si quid tale putas, vide parumper
Quantùm mens tua diſtet, audiaſque
Quæſo, quantus & illius ſit error:
Eſt inter bona quæque, crede primum,
Cunctorum ſtudium, bonumque nomen;
Quæ ſi defuerint; habere nulla
Credas, at miſerum hoc magis putet te,
Quod ſis orbus eis, potes quæ habere.

IN EVNDEM.

Epigr. 44.
Mordent te vſque tui, domi, foriſque
Externi, quod auarus omnibus ſis:
At te, forte refers, latet, quod audet
Nemo, ſcilicet hæc tibi referre.
Belle, tranſeat; aſt ſatis ne tunc ſit,
Quod præcordia non tacere poſsint?
Culpa teſte ſua, poteſt beatus
Num quis viuere tortor, eſtve quæſo
Interno magis impius, feroxque?
Et quem ferre diù nequit probus vir?

IN EVNDEM.

Epigr. 45.
Expenſis ſemel omnibus relatis,
Felix dicier an queas? rogo te:
Infelicior an ne ſis vocandus
Omni, quolibet? hoc ſatis probatur:
Ergò ſi rogites tuum ſequutus
Cum non antea ſim bonum, atque certum
Exemplum? Placeat tibi hæc referre;
Tanti carnificem mei parare,
Nec tanti cupiam fuiſſe iniquum.

IN EVNDEM.

Horrens consilium, simulque causas,
Detractum decus vnde jure prodit,
Necnon vnde salus periclitatur, Epigr.
Morbis inde tuis vides vt istis 46
Tantisper cupii manum admouere,
Nostris carminibus, nec assequutus
Sanè pauca ero, si pedem referre
Tantillum placet è tuo statuto:
Permutabis enim cum amore magno,
Adversus te odium, gerebat ante
Quod quiuis, tibi tumque factus ipse
Multo blandior, inde eris beatus.

IN EVNDEM.

Æquo Marte puto arma deseremus;
Victor, victus ego nec, ambo verùm
Lasi, læsus vterque, non modò vno;
Nam sim vis vt auarus, hoc refello Epigr.
Sis tu munificus volo, repellis: 47
Optas me miserum, repugno jure,
Sis felix cupio, male at repellis,
Quid durum magis, arduumve quid sit?
Si me forte rogas, brevi reponam,
Vt qui munificus, sit ille avarus,
Possit larga manus, vel esse avaro.

IN FVRNVM MALE SCIENTEM, SED VALDE pertinacem.

Non te, Furne, puto dedisse, vt inquis,
Ad discendum, operam nihil scias cum;
Aut si scis aliquid, male hoc scias tu:
Instando at mihi, tu reponis ista:
Quid? me scire nihil tueris ergo?
Non, vnum fateor, tenere bellè Epigr.
Te, hocque vnum didicisse non negabo; 48
Vt quovis alio tenacior sis,
Vt quemuis superas tenacitate.

AD

AD CHLORIDEM EPIGR. MYSTICVM.

Epigr. 49 Verè, Chloris, amas, te amoque verè;
Sed neuter tamen eſt amore felix,
Quod neutri liceat bonis potiri,
Quæ natura tamen fruenda præbet,
Et lex ipſa vetet cupi illa tantum.
Felices tamen eſſe nos queamus;
Eſt æquum modo nos geramus vti,
Quæramuſque bonum ex malo; ſolent &
Excerpi antidoti probi è venenis,
E morboque ſalus venire poſsit.

IN ALIQVEM, QVI AVTHOREM DOMI *ſuæ conviuam habuerat bis, aut ter, & ſemper cum Authoris diſpendio.*

Epigr. 50 Aut bis, terve puto domi tuæ te
Me inuitaſſe quidem, ſed ipſe ſemper
Viſus ſum potius vocaſſe te, quam
Abs te, Paule, vocatus, vnde malo
Te inuitare domi meæ, juvet cum
Me multo magis, alterum vt juvabit
Cum ſumptu requies domi, labor quam
Impenſæque foris, duplexque pondus.

IN AVARVM, AVTHORIS SCRIPTA *laudantem, non remunerantem.*

Laudas ſcripta ſatis, putaſque digna
Epigr. 51 Laudari, at peto præmium laboris
Si abs te forte quidem, petunt vt omnes;
Nec das vlla manu, nec ore profers,
Quod promiſſa quaſi eſſe dona credas,
Nec ſumptu ſine, liberalis eſſe
Vel tantum cupias, feraſve tantum:
Indulge ingenio, nihil precor des,
Vel quæſo nihil offeras, at audi:
Tu laudes neque ſcripta noſtra quæſo,
Laus ſuſpecta nimis data ex auaro,
Qui quæ conſtiterint, nihil libens dat.

*** *** ***

IN

IN ALNVM, QVI NVNQVAM LAVDANTI *laudata offerebat.*

Cum res sæpe nouas videre, mosque Epigr.
Sit laudare mihi, solent vt omnes, 52
Qui laudanda vident, tamen nec ipsa
Optant, quæ tibi laudo mente credis
Me laudare alia illa, tum cauesque
Offerre, accipiam verens ego ne,
Causarisque negans simul datoris,
Per magnum studium, manumque amatam.
Offerrem; dator ast amatur, inquis,
Vt possim nimis alteri referre:
Quod laudata neges, datoris almi
Non producit amor, timor sed Alne,
Ne quæsita prius perire possint.

IN ALNVM IMPROBVM, AVARVMQVE *hominem.*

Te vidi semel vt, statim ipse noui; Epigr.
At te nosse semel pudet, pigetque, 53
Nec te credo mihi dedisset vnquam
Noscendum bene te modo ille nosset,
Qui tantum petiit viderem vt Alne;
Sed mores simulans, modosque rectos
Illi visus es, vt decebat esse;
At visus mihi es indecorus vsque
Imprudens, stolidus, ferox, auarus,
Et si te videam magis, magisque
Tu pejorque modo in dies proberis,
Et cessabo videre terminus sic
Vt nobis malus inde censearis,
Sic tu forte bonus proberis inde.

QVIDAM SOCER IN GENERVM.

Nummos vt numerem, locans puellam Epigr.
Nec vis, nec petis, hacque lætus, ipsam 54
Exoptas modo, præter hancque tandem
Expectas nihilum: Socer beatus!
Contingit gener haud auarus, & cui

Impen-

AD CHLORIDEM EPIGR. MYSTICVM.

Epigr. 49 Verè, Chloris, amas, te amoque verè;
Sed neuter tamen est amore felix,
Quod neutri liceat bonis potiri,
Quæ natura tamen fruenda præbet,
Et lex ipsa vetet cupi illa tantum.
Felices tamen esse nos queamus,
Est æquum modo nos geramus vti,
Quæramusque bonum ex malo, solent &
Excerpi antidoti probi è venenis,
E morboque salus venire possit.

IN ALIQVEM, QVI AVTHOREM DOMI *suæ conviuam habuerat bis, aut ter, & semper cum Authoris dispendio.*

Epigr. 50 Aut bis, terve puto domi tuæ te
Me inuitasse quidem, sed ipse semper
Visus sum potius vocasse te, quam
Abs te, Paule, vocatus, vnde malo
Te inuitare domi meæ, juvet cum
Me multo magis, alterum vt juvabit
Cum sumptu requies domi, labor quam
Impensæque foris, duplexque pondus.

IN AVARVM, AVTHORIS SCRIPTA *laudantem, non remunerantem.*

Laudas scripta satis, putasque digna
Epigr. 51 Laudari, at peto præmium laboris
Si abs te forte quidem, petunt vt omnes;
Nec das vlla manu, nec ore profers,
Quod promissa quasi esse dona credas,
Nec sumptu sine, liberalis esse
Vel tantum cupias, ferasve tantum:
Indulge ingenio, nihil precor des,
Vel quæso nihil offeras, at audi:
Tu laudes neque scripta nostra quæso,
Laus suspecta nimis data ex auaro,
Qui quæ constiterint, nihil libens dat.

*** *** ***

IN

IN ALNVM, QVI NVNQVAM LAVDANTI *laudata offerebat.*

Cum res sæpe nouas videre, mosque Epigr. 52
Sit laudare mihi, solent vt omnes,
Qui laudanda vident, tamen nec ipsa
Optant, quæ tibi laudo mente credis
Me laudare alia illa, tum cauesque
Offerre, accipiam verens ego ne,
Causarisque negans simul datoris,
Per magnum studium, manumque amatam.
Offerrem; dator ast amatur, inquis,
Vt possim nimis alteri referre:
Quod laudata neges, datoris almi
Non producit amor, timor sed Alne,
Ne quæsita prius perire possint.

IN ALNVM IMPROBVM, AVARVMQVE *hominem.*

Te vidi semel vt, statim ipse noui; Epigr. 53
At te nosse semel pudet, pigetque,
Nec te credo mihi dedisset vnquam
Noscendum bene te modo ille nosset,
Qui tantum petiit viderem vt Alne;
Sed mores simulans, modosque rectos
Illi visus es, vt decebat esse;
At visus mihi es indecorus vsque
Imprudens, stolidus, ferox, auarus,
Et si te videam magis, magisque
Tu pejorque modo in dies proberis,
Et cessabo videre terminus sic
Vt nobis malus inde censearis,
Sic tu forte bonus proberis inde.

QVIDAM SOCER IN GENERVM.

Nummos vt numerem, locans puellam Epigr. 54
Nec vis, nec petis, hacque lætus, ipsam
Exoptas modo, præter hancque tandem
Expectas nihilum: Socer beatus!
Contingit gener haud auarus, & cui

Impen-

Impensa sine, dote & absque prodit
Felix nupta marito! At ista credens
Me falli experior medentis arte.
Qui dum nulla petit, nihil repellit.
Si tu nulla petens, lacessis vsque,
Me impensisque gravas, patrem puellæ;
Quot me plura petens, gener, lacesses?

IN POETAM RIDICVLE SVPERBIENTEM.

Epigr. 57

In magnis voluisse, quod satis sit,
Vt sententia sat probata firmat,
Imprudens, opus antequam peractum,
Num dic deseris, & novum incipis nunc?
Cum fassus fueris, vel integram esse
Vitam primo operi necesse? Nonnè
Ridendum dare te rogo fateris?
Vni haud sufficis, & duo sequaris?
Verùm istud venit è procacitate,
Vt gens est tua, quemlibet tuorum,
Quod plures nequeant, putes patrare.

IN RIDICVLAM, MOROSAMQVE QVAMDAM *fœminam.*

Epigr. 58

Nec tu grata loqui, tacere nec scis
Prudens, pulchra nec es, videri vt optas
Ætatem juvenis referre quæris,
At tantum actibus hanc referre possis.
Tu vaccinia, non ligustra præfers,
Vllus nec lepor est amanda cur sis;
Oris verba malè, os simulque fœtet,
Ergo dant animos tibi rogo quæ?
In te qui soleant tumere, quique
Quemvis non timeant calumniari?
Hos conjux patiens nimis tibi dat,
Cui (ni fræna dabit) brevi dabis tu.

IN ALIQVEM IMPIE, ET FALSO AMICITIAM *jactantem.*

Epigr. 59

Quin magni faceres, me, vt esset æquum,
(Plus te cum valeant) quibus colendus
Sem-

Semper visus ero, fuique semper
Tu spem luseris haud modò, fidem sed
Iure ipso quoque roborandam & auctam,
Et tunc prospiciens velis videri
Nobis, rerum & amans cupisque credi?
Læsum ludificaris anne tandem?
Si signum hoc reputas amoris esse,
Osor sis precor, & statim te amabo.

IN INVRBANVM CONVIVAM.

Si quem forte velis domi tuæ vnquam — *Epigr. 58*
Invitare, prius memento quæso
Conviuæ esse tui locum priorem,
Quod si præstiteris secus, memor sis
Lædi te modo non eum nec esse
Credo vllum, stolidum nisi, probet qui
Dictis absona quæque facta nostris,
Nam quicumque tibi assidere dignus
Sit, dignum hunc reputes sedere primum;
Et quod jus dat ei prioris, aufers,
Vsurpasque tibi, quod abnuit jus.

AD CELSISSIMVM ALBÆ DVCEM, NAVARRÆ Comitem Stabuli, super amantissimi, necnon amatissimi Patris obitu lachrimabili, Epicedium, Patris, & Filij justum, sed triste encomium, noua, sed meritissima laudatio.

Hæres tu fueris, volente fato, — *Epigr. 59*
At desiderio sciunt quidem te
Nullo, diuitias Deos rogasse;
Et Patris potius fuisse functum
Te quam munere filii patrem erga;
Natos namque volunt, parentibus plus
Dilectos, pueros quam amare patres;
In te sed secus, vt flagrasse noui
Te summo studio, ò Pater beate,
Cui natum similem datum est videre
Nasci! O nate miser, negare cui non
Patrem fata mori, videre talem!



EPIGRAMMA DIALOGISTICVM.

Epigr. 60
Vellem (si liceat) minus quieti
Indulgere, etenim auferam ne quæso
Quo plus dormio lumini meo plus?
Et num conveniat magis volantis
Partem æui dare nobili labori hanc,
(Si tunc nostra Minerua non repugnet)
Quam si segnis inhæream sopore?
Nunc verò hisce meis, reponis ista
Pellæus Iuvenis tibi ministret
Artem, qua minuas quietis horas;
Ars non illa placet, mihi auferat quæ
Nolenti requiem, simulque vitam:
Mens certa est vigilare, obire nolo;
Hora, & tempore, quo volo, placetque,
Expergefieri opto, sphæra nescit
Nobis plumbea at, hoc parare lapsu.

PVRGAT QVAMDAM NOBILEM FOEMINAM, *quam falsò amentiæ plures insimulabant.*

Epigr. 61
Amentem esse volunt, tenaciterque,
Spirant cuilibet ore multùm iniquo,
Illi, quod semel audiere de te,
Vel quod judicio suo probare;
De te talia seminare, verum
Ausi qui fuerint, merent cachinnum,
Quam pœnas potius, furore namque
Non peccant, nec ei malignitate,
Peccant, stultitia, modò solent quo,
Qui morbo icterico tenentur illi,
Qui credunt alios eo teneri,
Stulti sic, alios carere mente.

AD ALIQVEM MVTATA SORTE *insuperbientem.*

Epigr. 62
Cum privatus eras, erasque pauper,
Utebar, memini, placebat vtque
Visu, colloquio tuoque semper:
Creuit sed decus vt statim, iniquus

Erga nos amor est, fideſque prima:
Creverunt vt opes minorque facta eſt,
Occurrens tibi mos vt eſt, ſalutans,
Vidi haud reddere te mihi ſalutem,
Si creſcant magis ergò honos, opeſque,
Me vidiſſe neges, negeſque noſſe.

NIHIL NIMIS LAVDANDVM, AVT DAMNANDVM.

Nullum vituperes nimis, nec vllum *Epigr. 63*
Convictus meritis licet probatis,
Vnquam laudibus evehas ad vſque
Cœlum; quiſque etenim velit ſua arte,
Vt ſint nota ſibi, probare quæque
Aut damnare modò, probanda ni ſint:
Quid, dicas, faciam, manebit ergo
Vindicta ſine, turpe quidquid eſſe
Noſcam, prœmia nec feret probanda
Virtus vt decet? Abſit vt velim iſtud;
Lauda, ſed modicè, moduſque probris
Sit, ſed nec ſtudium ſit, aut ſimultas.

IN ARISTOTELEM, SE IN EVRIPVM præcipitem dementem dantem.

Verum ne eſt referunt quod, anne falſum. *Epigr. 64*
Cauſas non caperet quod alti vt æſtus
Illum, qui ſapientiæ ſtudebat,
Et præcepta dabat ſcientiæ hujus,
Amentem petiiſſe tunc profundum
Euripi? Intererat ne quæſo tantùm,
Arcana vt penetraret, interire?
Num quæſo ſatius fuiſſet illi,
Vt prima officia ante vt, ille obiret,
Annis quod ſuper eſſet applicare,
Et qui viuere nos docere vellet,
Se nouiſſe mori, prius doceret?

IN IGNARVM, ET APVD OMNES MALE audientem.

Quid proſunt mihi fama, honoſque dicis *Epigr. 65*
Semper cur inhiemque eis rogas, &

Num post fata manent bona hæc laboris
Tanti & proemia, quæve stulte quæris?
Num quæso ætherea frui licet dum
Luce almaque mihi, sat est laboris
Hunc decerpere fructum, & esse certum,
Donec manserit Orbis, & futuram
Famam sic stabilem, sed vt semel tu
Exales animam, anne tunc tui sit
Quædam mentio? nulla sanè erit tum
Viui, namque tui nec esse scimus,
Aut si forte sit, hanc malam modò esse.

AD MARITVM STVLTVM, ET INEPTVM, die nuptiarum zelotipia correptum, quod leuir osculum vxori fixerit, ideoque in eum irruerit.

Epigr. 66

Te duxisse, marite, nouimus jam
Vxorem, loquor at quid? an maritus?
Percussor potius mihi es vocandus,
Quæris jurgia dum movere nuptæ
Amens, & quereris quod osculum illi
Leuir fixerit? an carere mente
Plus sat tum innuerit? magis carere
Conjux visa tamen periculum horrens,
Hoc experta semel licebat vt, quæ
Tunc justè modo non recessit abs te?

AD LESBIAM EJVSDEM MARITI VXOREM, Quam altera post nuptias die, pluribus verberibus ferè ad vsque mortem, confodit.

Epigr. 67

Cui tandem dederas manum, dedisti,
Tristis Lesbia, corpus vt necaret?
Insonti potuit nefandus ille
Intentare necem, ante cui dedisset
Delibanda licet sui oscla amoris
Falsi. Proh dolor! ergo non vt vxor,
Verum vt victima tu petita es illi,
Tu cujus modo culpa amasse scimus?
Hoc num crediderint nefas futura

Post nos sæcula? Vidimus tamen, sed
Nos ipsi fidem habere possumus vix,
Visis quod ratio repugnet illis.

AD LESBIAM, QVOD SPRETIS OMNIVM
Consiliis, fidei mariti percussoris se iterùm commiserit.

Tandem experta semel furoris iras — Epigr. 68
Sponsi, nunc iterùm has probare quæris?
Spretis consiliis, fideque nota,
Quam erga te prius ille præbuisset?
Ni tu sis memor, hæc monere prodest:
At si mente tenes, caueto quæso,
Infectum nec opus dato exequendum.
Quisquis jura semel sodalitatis,
Nam perfringere tentet, hic cruentus
Hoc sit sæpius aggredi paratus,
Sic mortisque tuæ ream putes te,
Si illi denuò te dabis necandam.

AD ÆDES, QVOD OMNINO, VT ALIÆ
integras tenebras haud experiantur.

Nox non facta domi meæ videtur, — Epigr. 69
Hora quaque mihi licet videre
Lumen, quod satis est legendo, verum
Et si non, sine luce, gressibus sed
Ducendis placet vt, meisque semper,
Ædes quam genio placent meo istæ!
In queis, cum vigilo, lubet diei
Vmbram saltem aliquam videre, mortis
Cum tantum in tenebris imago tristis
Luctus cernitur, orbitatis atque.

DISPLICENT ARCMO EPIGRAMMATA
Authoris, non tantùm, quod acuta, sed quod vera sint.

Quæ sunt scripta tibi, Arcme, scripta non sunt, — F
Vel si sunt tamen alteri vt tibi haud sunt,
Hæc sunt vt bona cuique visa semper.
Hæc invisa tibi fuère & vsque,

Sed cum tot placeant, tibi placere
Quare dic nequeant? acuta num ſunt?
Hoc quod nemo negat, negabis haud tu;
Imo diſpliceant, acuta quod ſint.
Et hic pungere ſic nimis ſciant hæc:
Hæc non ſint quod acuta lancinant te,
Dignum at te quod eis ſcias ſatis plus,
Et quæ vera modò hæc dolere debent.

ILLVDIT OCVLORVM IPSE VITIO SVORVM.

Epigr. 71

Eſt vt cuique mihi duplexque lumen,
Aſt obiecta duo, ſimulque cerno
Vnum ſit licet, eſſe ſed ſtatim hoc (vt
Affirmas) nequeat, ſed hoc probabo;
Quæ virtus tibi jam videtur eſſe,
Eſt tantùm vitium mihi dolendum;
Sic plus quolibet altero videre
Dicens, quolibet altero minus ſic
Dicam cernere; diſplicetque viſus,
Qui cum plura videt, videt minuſque.

AD MVSAM SVPRA EPIGRAMMATE VLTIMO.

Epigr. 72

Qui claudit numerum, ſodalis eſtque
Et frater ſimul, ortus eſt & ante,
Poſt vos ortus, & eſt, nec obtinere
Sic vos ante locum queat, velitve:
Ergo quid cupias? Placet referre:
Vt veſtrùm numerum breui velimus
Sic componere, nempe ne ſodalis
Inter tot videatur eſſe ſolus,
Eſt vt principium, ſit inde finis;
Nobis, Muſa, petita non negaris.

IN QVOSDAM FALSOS NVNTIOS diſſeminantes.

Epigr. 73

Rideret ſocios, foret vocare, vt
Paſtor cum ſolitus, periculi ſe
Sub falſa ſpecie, gregem lupoque
Mactandos fore, ni leuamen eſſet;
Illuſi toties, vocauit ille,

Vt

Vt lupo veniente opem & rogauit,
Pastores renuunt petita tandem.
Sic vobis habita fide, haud probata;
Injustum studium probetis vt vos,
Dum vulgare placet cupita tantùm,
(Sed quæ vana tamen ruère semper)
Quidquid certum vbi post velitis ore
Vestro spargere, credito mihi, tunc
Falso vt, credere jure quisque nolit.

IN REGEM CRVDELEM, IMPIVM, & barbarum.

Te non ad solium putem esse natum, Epigr. 74
Crudelis, populi cruore possis
Cum tu quaque die rubere inique;
Vestes magnificæ, & colore splendent
Terrarum Dominis solent in vsu
Esse & purpureo, tuæ cruore
Sic cujusque madere subditorum
Sunt semper solitæ, furoris æstus
Prætenduntque oculis, minasque menti.
Non vt sceptra quidem manu teneres,
Te ergo dixero jure non satum esse,
Sed natum modo, carnifex vt esses.

IN PHYLLIDEM AMASIO SE SEMPER eandem fore asserentem.

Te semper mihi te futuram eandem Epigr. 75
Phyllis plura quidem memento verba;
Necnon grata satis dedisse nobis;
Hæc ingrata tamen fuere semper;
Sed restrictio mentis hæc fefellit
Me, stans, non steteris, placebat vti;
Fallax principio at fuisti vt ante,
Semper sic eadem vocaris æquè:
Hoc si pollicita es, stetisse jure &
Te verbis equidem potes probare;
Spectato sed amore, si velimus
Nostro nulla dolosa sit magis te,
Et fallacior vsque nulla te sit.

IN EANDEM, SVB AMORIS SPECIE, *Amasium decipientem.*

Epigr. 76

Lusisti toties sub æqui amoris
Me falsa specie nequirem vt ipse,
Vel si in te cupiam, placetve culpam
Fraudis flectere, nam dolosa semper
Es tu visa mihi patenter, & tam
Vt me decipier necesse sanè
Abs te sit voluisse me fateri?
Verùm qua ratione, luderer non?
Si qua, qui bene amant es arte semper
Vti visa, & amoris hæc dedisti,
Quæ dant quique sui sigilla amoris;
Et lusum toties placeret & nunc,
Si forsan tibi ludere, vsque posis:
Non ars hoc dederit, quid ergo? Forma.
Qui obniti queat artibus, dolisque
Formæ, forsitan haud resistat ille.

FACILITATEM SCRIBENDI SVAM EXPONIT.

Epigr. 77

Nobis causa semel data est & ansa vt,
Scribendi, illicò tum fluunt & apta
Causæ verba meæ, favetque Musa,
Promptumque ingenium, fit vnde nobis
Plura vt quaque die queant abire,
Quam cuivis alio exeant in anno:
Sic jam propositum semel vel est vt
Quidquid, tum reputem ferè peractum.
Sic nostro ergo labore si prematur
Quidam, & tædeat, audiat modò ista;
Quod nobis placet; hoc voco otiari,
Sed quod displicet, hoc labor mihi sit.

IN PATREM, QVI CRVDELITER, ET FORSAN *sine exemplo, filio necem intulit.*

Epigr. 78

Num credenda precor fuère nobis
Quæ non dicta semel, sed vsque dicta?
Num credam quoque, visa quæ mihi sunt,
Et quæ visa aliis fuère multis?

Num


Num poſsit fieri vt pater nefandam,
Crudelemque necem, manu cruenta,
Infanti dederit, dediſſet ante
Almam cui que diem? Parens ſuo ergo
Functo, ſanguine ſic parentat illi,
Cui vt non intereat, mori fuiſſet
Illo pro, ſatius? nefanda ſanè
Res, nec viſa priùs, nec & videnda!

IN QVANDAM FOEMINAM, QVERENTEM *quòd pedes, non faciem, aſpiceret Author.*

Inſpexi fateor pedes ſemel, nec — Epigr. 72
Inſpexi faciem, nec intueri,
Hanc vnquam cupiam, licet viderem;
Et cur, ſi rogitas, breui reponam.
Sint jam namque pedes, ſciunt vt eſſe
Deformes licet, eſt magiſque viſus
Fœdus, *Sed ſpeculum indicat ſecus ſat*
Formoſamque putem (refert vt illud)
Haud miror, ſpeculo aſſerente quovis,
Pulchra eſt & ſibi viſa, fœda quæque.

QVOD NVLLVM SIBI OFFERRETVR *Argumentum.*

Nullam, Muſa, mihi dediſti vt anſam — Epigr. 80
Scribendi, labor vnde nempe nullus
Eſſet forte mihi, ſilere & eſſem
Sic tandem inde coactus, ecce, riſi
Et donec placeat rogata nobis
Argumenta dare, vnde poſt liceret
Quædam ſcribere, cuique quæ placerent,
Quod non, Muſa, tibi placèret vlla
Tunc dictare mihi, jocoſum & iſtud
Indignum haud Epigramma jactitare,
Certum jam fuerit dare hocque luci,
Vt nobis moueatur inde riſus.

AD LESBIAM, QVOD DOMVM CONJVGIS deserere statuisset.

Epigr. 81
Omnis jam timor ex me abire cœpit
(Felix & miseranda) cognitum est vt
Te tandem statuisse abire, dicam
Sacris num laribus? Domo nefanda
An dicam potius? cubile cui sit
Lethalis thalamus, diebus actis
Paucis & numero. Beata rursum!
Infelix iterum! Semel periclo,
Quæ experto potuit manu nefanda
Se se solvere, sed sinistra quæque;
Sponsi colla jugo innocens dedisset.

PROPENSIONEM INNATAM AD STVDIVM innuit.

Epigr. 82
Si natura dedit vigoris æqui,
Quod non sufficiat modò labori
Nostro, sed valeat ferendum ad omnes,
Et cuicumque velint, adesse posit.
Cur quæso otier, & laboris osor,
Aut optem vigilare inanis, aut &
Indulgere velim graui quieti,
Et viuens, moriens vt, hacce tantum,
(Motu) luce frui probare posim,
Extinctum potius vel esse monstrem?

CVR SCIPIONE, SIVE BACILLO NON VTATVR.

Epigr. 83
Laudas tu baculum, quasi leuamen,
Ad gressusque tuos eò videris,
Vti sæpe libenter & ferè annos,
Quos tu, natus ego, bacillo & ipse
Non vtar, rogitas at vnde, cur ve?
Crurum mollities, pedumve non id
Gignit, crede mihi, sed vsus istud
Gignat crede modò, satisque constat:
Vsui sit licet vsque ego repugnem,
Nostrum ne vitium patens sit inde,
Me fortemque putet, putat qui inertem.

AD

AD AVTHOREM QVENDAM ANONYMVM.

An tu nomine dic, carere quærens, Epigr.
Vllo tum ſine quæ typis dediſſes, 84
Hæc & tum dederis, putaris atque
(Optans nomen vt, eſſet inde majus)
Nil præſtare magis, tacere quam iſtud
Jacta eſt ſi alea, ſors favere neſcit:
Si tum nomina namque cauſa honoris,
Scribi juſſa prius ſtatim & dediſſet,
Vt ſunt, & fuerint, forent & vſque
Abſque & nomine ſcripta,& abſque honore.

AD QVEMDAM SVPERBVM, ET INVRBANVM. Epigr. 85

Semper turgidus vt videris atque es,
Si te conveniat quis vt ſalutet
Te, primam tibi vindicare ſedem
Tu curas modo, poſteram alteri das,
O ſtultum caput! Ergo te latere
Sic hucuſque poteſt, domi ſuæ quid
Vrbano erga alios neceſſe cuique
Sit præſtare? Docebo: magna moles
Auſim quam nec adire, vana quæque eſt,
Et quæ non didiciſti enim diebus,
Totque annis, rogito, via, modo ve,
Quo te nunc doceam? inſtar vt Poetæ
Comis naſcitur, at docetur ægrè.

IN IMPIVM, SIMVLQVE IRRIDENTEM *Maritum*.

Num, quæſo, ſat erat manus cruentas Epigr.
Vxori innocuæ intuliſſe? fas ne 86
Irridere fuit ferè peremptæ?
Ex hac perque jocum rogare, vtrum illi
Plagas incutiens, probroque lædens,
Quid damni intuleras? Sed hoc & ipſum
Reddens ridiculum, facit ſimul te,
Nudum criminis, at ſimulque mentis:
Tunc nam ſi illa tibi fuiſſet æqua,
Tum ſi firma, valens fuiſſet illa,

Non ad vulnera, nec manus cruentæ,
Non ad probra ſimul fuiſſet, oſque.

CVR SPECILLIS NON VTATVR, NEC VTI velit.

Epigr. 87

Criſtallis rogitas levare cur non
Jam noſtros oculos velim, videre
Parvo tumque labore, quæ peroptem?
Bellè præſtiterim, vt rogas, ſed vſi
Omnes, damna fatentur, & queruntur;
Quod ſint extenuata vera falſa
Cuiuis lumina luce, noxiumque
Lumen non mihi tum placebit illud,
Aufert cum data, tollit & quod auget,
Infert ſicque malum, bonumque præfert.

IN POETAM INDIGNE IRASCENTEM AMICO; *Quod opus quoddam ſuum menda purgaſſet.*

Epigr. 88

Num riſum precor, ò Poeta, gignas,
Iras concipiens, cienſque bella,
Cum pro munere, jure debuiſſes
Grates innumeras referre amico?
Quid peccavit enim? *Addidit leporem*
Scriptis. Jam ſcio. *Suſtulitque mendas.*
Fas & credere. Pejus an fuiſſet
Si infixas operæ relinquat illas,
Et ſic ridiculum te honore falſo
Reddat, vel ſinat. Eſſe, quod putem vnum?

CVM MVSA JOCATVR.

Epigr. 89

Cur, dic, Muſa, negas petita nobis,
Tu, quæ jam toties rogata primum
Ad nutum dederis, tuaque ſponte
Nobis obtuleris? Fit vnde quæſo
Hæc mentis levitas? Velis ne forſan
Faſtum noſtri animi, fidemque noſtram
Mulctare hocce modo? Nocere poſſes
Jam vexilla ſequuto, & ante ſcriptis,
Qui famam ecce meis parare novi,
Nunc fœdare meos velis triumphos?

Injuſte

Injuſtè at queror, & tibi faventi
Grates debeo, carmina iſta quippè,
Quæ ſcripſi modo, te juvante, ſcripſi.

RESIPIT AMANS, COECITATEMQVE FATETVR.

Æger quam fueram prius! Salus vt — Epigr. 90
Deſperata fuit! Mederi ad vſque
Cui tot pharmaca non ſatis fuere.
O quam lumina noſtra cœca dicam
Illo tempore! Dixerim ſed vlla
Sanè non mea tum fuiſſe. Cujus
Ergo? Segnis amoris, vtpote illi
Conſtans adfuerim, hæſerimque ſemper;
Felix mente modò, beatus haudve.
Picta eſt (moris vt eſt) amatæ imago,
Tum quæ diſsimilis, quod eſſet illa,
Eſt formoſa minùs putata nobis.
Sed non talis erat, volebam vt eſſe,
At qualem cuperem modò volebam;
Et ſic æger eram, malumque noſco,
Cæcutire id erat, ſed hoc videre.

IN INVERECVNDVM INFANDI NVNTII
Diſſeminatorem. Epigr. Dialogiſticum.

Heus. Salue, quid habes noui? Nihil, tu — Epigr. 91
Sed ſi forte habeas, refer, quid, oro,
Rectè præſtiterim. Horreo ſed illa,
Quæ dicturus ero. Tamen recenſe:
Noſtra in Parthenope ferunt celebri.
Quædam ſcripta modò cruenta multum
Regem in ſparſa fuiſſe. Senſus hic eſt,
Rex nobis fuerit. Quis? Vnus ille,
Quis? Qui Cæſar erit. Nefanda peſtis!
Hæc verba Iſacidum fuere dicta
In Chriſtum. Prius, ipſe ſi valeres
Illic tu quoque adeſſe, & ipſa dicas;
Infers talia, dic, amabo, at vnde?
Qui lætus referat patrabit ipſa,
Tantum occaſio ſi datur patrandi.

MVSA

MVSA EJVS IN EVM CVM EO EXPOSTVLAT.

Epigr. 92

Si quis nouerit, vt ſoles me habere,
Quæ ſcriptis ratio ſit, & modus quis,
Quid dicturus erit, rogo te, amice?
Nec tempus reputas, locos, nec horas;
Et qua vis placet, expedit tibi ſim
Prompta ad quælibet, aut ſtatim querela eſt.
Dic, ſodes, alia eſt ne Muſa talis?
Quæ dic alma quies, jocus quis vnquam?
Quæ fortuna fauet, laboris aut ſpes?
Annis jam tot ab hinc quid amplius ne eſt,
Præter dicta mihi & ferenda poſt hac?

IN PRÆMATVRVM, ET PRÆCIPITEM
Comitis Galbenſis obitum.

Epigr. 93

Functum crediderim ne, ſomniumve?
Vitæ limina pene qui terebat,
Et formoſior eſſet ipſo Amore,
Deformis jacet? O dolenda ſemper
Sors, nec credo ſatis dolenda cuique!
Annis ſpes erit, oro, fati vt expers?
Quis poſt talia, ſe ſecure mortis
Exemptum juvenis putabit eſſe?
Huic ſed colla dedit quietus ille,
Conſtans Aſtyanax vt alter, ora,
Fletus, nec lachrimis rigauit vllis;
Jam quæſo juvenes, docete vitam,
Oro, diſcite vos ſeneſque mortem.

NON VERBORVM CONGERIES, SED SENSVS
ſpectandus eſt.

Epigr. 94

Si quæ verba ſonant, ſed ipſa res ad,
Aut nil, ſiue parum, attinere cenſes,
Pro nullis reputes, nec eſſe dicta
Credas, quæ fuerint quidem probi vſus,
Spectarint & ad illa quæque agenda,
Hæc ſint longa licet, ſecus putes hæc.
Dum non quid nimis eſt enim hoc in hocve
Scripto quolibet, illud eſſe longum

Ne affirmes, breve ſed, puteſque longum
Hac ſi lege carebit, atque verba
Credas, vtile quæ tulere tantum;
Quæ non, futile murmur eſſe crede.

SIMILITVDO INTER SENECTVTEM, & mortem, quod neutri ſit remedium.

Paruus ſolvitur orbis ecce noſter,
Vires inque dies perire noſco, *Epigr. 95*
Queis poſsint refici modos, & artes
Certum eſt quærere, in hocque ſudo multùm;
Morbi at magna nimis premit, furitque
Vis noſtri, medicari vt poſsit vnquam:
Inter nam mala dirius ſenectus,
Quo, mors dirior ipſa ſola ſæuit:
Ambo conueniunt in hocce at illi,
Quod poſsit medicamen eſſe neutri.

NOBILIS VXOR MENTIS ORBA PRÆ DOLORE mortui Coniugis, illam recipit.

Eſt id quod pretioſius, valet nec *Epigr. 96*
Emi, Lesbia, quolibet, nec auri
Quouis pondere, quodque ſana mens eſt;
(Olim perdideras) carenſque mente,
Eſſes pulchra licet, tamen videri
Vlli vix poteras venuſta demens,
Fato tumque graui orba ſed marito,
Ardebas vt eum, dolore tanto
Viſa es percita, perditam prius tu
Mentem vt tunc repararis. O benigna
Sors! mens, ſana fuiſſet illa ſi tum,
Jacturæ impatiens, gravata pœnis
Inſanire dolore viſa tum eſſes.

AD NOBILISSIMAM MATRONAM, QVÆ OB mortuum Conjugem mentis orba, eam ſemel recuperatam, iterùm ob amiſſam filiam perdidit.

Ardebas vt amore amantis atque *Epigr. 97*
Cari conjugis, hunc perire fato

Conſtans

Constans tunc tolerare tu nequisti;
Amens ex & amante facta tunc es;
Inventum medicamen estque morbo,
Quo mens est tua tum refecta tandem;
Spes & pulchra puella nupta pulchro,
Vix Lunæ orbibus octies repletis
Auras æthereas adiuit illa vt,
Insanire iterùm dolore visa es.
Ars cur non dederit prius leuamen?
Te natura volebat esse viuam,
Et cum judicio (cadente nato)
Te, non viuere posse præuidebat.

AD CELSISSIMVM PRINCIPEM, QVI PATRVELIS Audito obitu, trium annorum vectigal, hæres, solvendis ipsius debitis, dicauit, vt fama divulgaverat.

Epigr. 98 Auditus Patruelis est vt æger
Princeps, esse tibi, mora absque munus
Quod vis præstiteris probando amori,
Aptum quod magis esset, & probaret,
Gratum se quoque præstitit sed ille,
Se agnoscensque mori, piè cupivit,
Vt curæ memorem tuæ gerat se,
Ad finemque opus ille ducat vsque:
Restabat tamen hoc vt inchoatum
Tandem perficeres, modosque vincla
Solvendi ipse dares, pius dedisti vt.
Solvant debita vt ejus annuos ter
Census, vis numerarier, prius quam
Tu quid percipias pecuniarum,
Hæres, ò moderate, sorte quauis
Hæres cuilibet ipse digne dici!

AD DILECTISSIMVM AMICVM D. FELICIANVM Gilbert de Pisa & Carbi, super amissis tribus filijs, amita vna, & pene sorore sua.

Epigr. 99 Audiui pueros, amice, ternos
Te amisisse priùs, nec ante multùm
Amissa est amita, & soror minatur
Tristem nunc obitum. Hocce credimus nos;

Quod

Quod te veridicum esse novimus te;
Constans omnibus at videris esse vt,
Possemus secus ex tuo ore, amice,
Sanè colligere, ast amoris, iræ,
Et motus animi tenere cunctos
Quis, tu doctus vt es sciat, capitque
Vt tu comprimis impios dolores
Nil miratus erit, modòque mirum
Cuiuis, quod crucieris, & beatus
Tandem viuere non videris, actus
Pœnis jam, atque dolore sat cruento;
Nec mercede labor sua fruatur.

COLLOQVIVM INTER MVSAM
& Authorem.

Promissum numerum jam ad vsque finem *Epigr.* 100
Concessere Dii, Deæque Pindi
Tandem ducere, vela, mensque cogit;
Possim & plura dare, ast laboris æqui
Jam cura alterius vocare pergens,
Me nunc illa premit profundum adire;
At nobis graue opus nec vsque cœptum
Num nunc Musa tibi aggredi placebit?
Est nobis imitandus. *M.* Audio. Quis?
A. Noster Persius. *M.* Heus jocaris an? *A.* Non,
Præsta, & postea vela contrahemus.
M. Non me decipies, satis ne noui
Es famæ sitiens vt, alter vndæ?
Qui quò plus bibit hanc, sitim bibit plus;
Quo plus fama viget, cupis vigere.

EPIGRAMMA SVPRA CENTESIMVM PRIMVM,
& vltimum. Colloquium.

P. Jam nobis Epigrammata ecce centum, *Epigr.* 101
Quæ promissa, fuere scripta tandem,
Grator, Musa, tibi, quod adjuvante
Te, absolutum opus exeat. *M.* Parum nec
Grator, quod requies sit inde nobis
Jam ventura puto. *P.* Putas? *M.* Ita an tu?
P. Non sanè. *M.* Est ne quis ergo Persium post,

Vt dixti, quem imitarier velis? Dic.
P. Ausim. *M.* Cur renuas? *P.* Theocritum. *M.* The.
P. Dixi. Carmine rustico, sed & sub
Velo allegoriæ docebo plura,
Quæ post sæcula læta nostra lustrent;
Et quæ, ni referem, alter haud revelet.
M. Credis? *P.* Decipior nec, an Deorum
Conventus, nisi me volente, cuiuis
Detectus foret? *M.* Omnino quidem non.
P. Partim nec modo, constat vt satis plus.
M. Quocumque ergo vocaris, haud reluctans,
At velox sequar, & beata sorte
Jam contenta mea, nihil repugnem.

Finis Epigrammatum.



PETRVS PAVLVS BILLETVS
CELSISSIMO COMITI P. S. D.

QVin ad te pervenerint litteræ noſtræ Gallico ſermone ſcriptæ, & prout eſt tua in me benevolentia, ad eas reſcripturus ſis minimè dubito, Celſiſsime Princeps: ſiquidem, noſtras tibi gratas, jucundaſque ſemper & fuiſſe, & fore, nobis ſæpiſsime ſignificaſti: cum autem in omnibus mira ſit animi tui perſeverantia, ea innixus, promiſsiſque tuis, hanc in ſpem adducimur; nec immeritò, ſi præter amorem in me tuum, cujus hucuſque ſigna non vulgaria dediſti; cujuſque, vbi occaſio poſtulauerit, majora te editurum credo, ſolitudinem, in qua verſaris, otiaque tua ſpectem. Licet enim ſtudium in me tuum teſtaturus, ad me non reſcriberes, id tamen, ad exilii ſolatium, & levamen, te præſtiturum conſiderem. Quid enim facias in illa arce tutiſsima, in qua nunc agis? Neceſſario equidem tibi tempus in rem aliquam impendendum ſit. At precor, quid indoli tuæ ad litterarum ſtudia propenſæ, gratius, & vtilius vnquam contingere poteſt, quàm hæc mutua litterarum colloquia? His enim abſentiæ damna ſaltem aliquo modo refeceris, vt jure obſequii, amoriſque in te noſtri, ea reficere, & rependere velis, etiam, atque etiam abs te, non tantùm peto, ſed efflagito. Valetudini tuæ conſulas, & nos ames, rerumque noſtrarum aliquando memineris velim. Matriti tertio nonas Martias anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi tertii. *Epiſt.* 1.

AD EVNDEM.

QVam graui, & non prius audito terræmotu, Sicula Regio percita fuerit, atque concuſſa, ex ſcripta enarratione; quam tibi mittendam, vni ex famulis tuis tradidi, quamque nomine tuo à me petierat, haud dubiè intellexeris, Celſiſsime Princeps: at in tanta, tamque lugenda, tot vicorum, Vrbiumque euerſione, necnon hominum miſeranda ſtrage; id vnum nobis ſolatium erit, ſi quæcumque tua ſunt, nullum damnum experta fuerint; *Epiſt.* 2

quod equidem vehementèr opto, & de quo me certiorem facias, te summoperè precor. Quamuis enim ad me nihil rescripseris, ex quo profectus es, non ideò te promissorum tuorum oblitum existimo, qui te rescripturum, non tantùm, mihi dixeris, sed sæpissimè pollicitus sis, & qui etiam, cum longinquiorem in Regionem abiisses, amoris in me tui, litteris signa dederis; & si fortè quibusdam rebus distentus, promissorum oblitus, aut iis stare cohibitus, pro votis nostris, tuas ad nos non miseris litteras; attamen vbi aliquid otii nactus fueris, has ad nos imposterùm delatum iri confido. Ea quippe est infelicium miseria, vt si certa, veraque solatia desint, falsa fingere cogantur: probè enim ad te nuperrimè scripsisse memini, quin otiareris, me non dubitare: ideoque in spem certam adductum, tuas nobis litteras sæpe redditum iri; nunc autem cum nullæ redditæ sint, aut culpam in obliuionem conferre, cum maxima memoria valeas, aut quibus forte non implicitus es, negotia causari iuvat. Verùm si nostri memineris, nullisque rebus irretitus sis, Celsissime Princeps, dic, amabo, quid in te peccavimus, quo tua potuerit mutari sententia? Vbi est illa benevolentia, quam nobis perennem fore asseuerasti? Vbi data fides, totiesque repetita? Scilicet cuncta evanuere Absit vt de te hoc jure dici posit, absit herclè vt quid simile mihi contingat. Immò nostri perpetuò memineris velim, simulque memoriæ, & amoris, quæ solitus eras, signa dare velis; & si mihi tandem consulere cupias, tibi, valetudinique tuæ consulas, & me ames, vt te venerabundus amo, etiam, atque etiam oro. Matriti pridie idus Martias anni millesimi sexcentesimi nonagesimi tertii.

AD EVMDEM.

Epist. 3

EO Die, quo apud te conquestus sum, nullas abs te Litteras accepisse, Celsissime Princeps, traditæ sunt mihi tuæ, Gallico sermone, altero verò die, aliæ Latino scriptæ ad nos delatæ sunt, pro vtrisque innumeras tibi gratias ago, vt qui eis amorem in me tuum testatus sis, & postremis non parvam mihi voluptatem attuleris, cum ex his intellexerim, te firmissima valetudine frui, quod equidem, non tantùm tibi, sed etiam mihi gratulor, cum nihil

gra-

gratius audire possim, quàm te bene valere: iisdem etiam me certiorem facis, te illius Vrbis primoribus humanitèr, pro more tuo, excipiendis vacare, quo nihil jucundius auribus nostris esse potest, cum nobilitas præsertim in vrbanitate eluceat, nec parum splendoris, quam naturæ jure sortitus es, ex comitate sit acceptura. Sic à mente, & sententia quorumdam hujus æui nobilium, qui, quo sanguine clariores, eo se magis inurbanos præbeant, te alienum summoperè gaudeo. Et herclè, quam male apud omnes audiant, nec si vellem, verbis tibi significare possim. Nec mirum, quid enim molestius, & durius, quàm venerationem aspectu toruo, & seuero aucupari? Cum illam, & prætereà benevolentiam omnibus anteponendam, facilius placidis, mitibusque moribus, sibi conciliare clarissimi homines queant, qua in arte, præ omnibus Guisii Principes excelluere, de quibus hæc vulgaris sententia fertur, inter quosque ad certamen, salutationemque, illos promptissimos esse. Quod vtinam menti, & animo nostrorum Magnatum hæreret, saltem quoad vrbanitatem spectat, quæ vllo absque periculo exerceri potest, quæ autem magno sine famæ, & nominis detrimento prætermitti nequit, sed hæc satis sint, cum super his, nullo indigeas consilio, vrbanissimusque inter omnes, & ab omnibus habearis. Id vnum tantùm tibi cordi esse velim, scilicèt vt semper nostri memineris, & vt te amamus, nos ames. Vale. Matriti decimo Kalendas Apriles anni millesimi sexcentesimi nonagesimi tertii.

AD EVNDEM.

Hodierna die jucundæ tuæ nobis redditæ sunt, Celsissime Princeps, quibus nescio quid instillasti, quo animus longa tua scribendi intercapedine fractus, sta- *Epist. 4* ret, atque firmaretur. Quamuis enim ad me scribendi nullam occasionem prætermisisse dicas, multis ab hinc diebus, nullæ abs te nobis redditæ fuerant litteræ, quibus cum ego tristis admodum carerem, hoc tamen vtebar solatio, scilicèt, quod, vt à multis acceperam, firmissima fruebaris valetudine; nunc autem, quod jucundis tuis te bene valere, me certiorem feceris, gratias innumeras tibi ago, & agam, si secundum promissa tua, petitaque mea, vbi

quidquid ditionis tuæ est in Sicula Regione, nihil damni tulisse intellexeris, id digneris ad me scribere. Cæterùm, si quam ego, & tu desideramus, secùs evenerit, sententiam tuam laudo, Celsissime Princeps, quod Iobi ad exemplum, in ferendis jacturis te patientem præbere, totumque Diuinæ voluntati committere statueris; id in damnis vnicum leuamen, quò si non vtereris, te non Avorum magnanimitate dignum præstares. Vt nuperrimè ad te scripsi, rumor est tibi quotiescumque volueris, ad nos redeundi copiam factum iri. Si ita res se habeat, ne vbi agis, diutiùs immoreris, te summoperè precor, quidquid enim deliciarum est, aut esse potest illo in oppido, nihil est, si eas cum nostris conferre velis, nec plura, ne quam litteris tibi creare cupimus, voluptas tædio imminuatur. Valetudini tuæ consule, & me tui amantissimum ama. Matriti octavo Kalendas Apriles anni millesimi sexcentesimi nonagesimi tertij.

AD EVNDEM.

Epist. 5

EX Gratissimis, jucundissimisque tuis Gallico sermone scriptis, ad nos hoc ipso temporis puncto allatis, & ad quas, ne statutum ordinem interrumpere videar, Latine rescribere placet, te optime valere intellexi, Celsissime Princeps, quod equidem quantam nobis lætitiam attulerit, sensu percipere, quam verbis significare facilius, cæterùm quod nullam ad me scribendi occasionem prætermiseris gaudeo, mihique gratulor, necnon maximas tibi gratias ago, quod autem nonnullæ ex litteris tuis mihi non traditæ sint, doleo summoperè, nihilominus si ad me non pervenerint, quas scripseris, non imposterùm apud te conquerar, idque non negligentiæ tuæ, sed infelicitati meæ adscribam. Quanta sit enim tua erga me benevolentia, ampliùs dubitare non licet, siquidem quocumque ejus periculum facere voluero, arbitrio meo permittis. Hac tamen copia, & potestate parcè, & modestè vtar, satisque nunc nobis erit, si in specimen ejus amoris, quod postremis nostris abs te enixè postulauimus, concedere digneris. Licet enim tenuissimum sit illud beneficium, si tua liberalitas spectetur; attamen permagnum nobis visum fuerit, si labentis fortunæ, modicarumque facultatum nostrarum ratio

tio habeatur, nec parum illo me tibi devinctum fatebor. Plura scribere juvaret, ni temporis angustiæ premerent, fusius die Sabathi. Valeas velim, & nos ames. Matriti Kal. April. anni millesimi sexcentesimi nonagesimi tertii.

AD EVNDEM.

KAlendis Martiis ad te scripsi, Celsissime Princeps, litterasque meas Celsissimæ coniugi tuæ fasciculo litterarum suo inserendas tradidi, vnde quin tibi redditæ fuerint, minimè dubito, & vnde simul supervacaneum existimem, quæ enixè, his abs te efflagitabam, iterare siquidem, non semel amorem in me tuum expertus sum, pro compertoque habeo, quæ eius mihi signa dare potueris, te semper daturum. Hac spe fretus, quam tu nunquam fefellisti, non preces, sed grates ad te deferendas censeam, nec me tibi excusatum haberi velim, si cuilibet alii molestus visus fuero, vt qui nihil gratius, iucundiusque tibi præstare posse probè sciam, quam cum occasionem tua in me beneficia conferendi præbeo, his verò relictis, quædam de reditu tuo dicenda. In spem adducimur, te Paschatis tempore ad nos reversurum. Faxit Deus, vt rumori, & desiderio exitus respondeat. Interea verùm me tui amantissimum, tibique addictissimum ama. Vale. Matriti pridie nonas Martias anni millesimi sexcentesimi nonagesimi tertii. Epist. 6

AD EVNDEM.

MOrtem, Celsissime Princeps, Coniugis tuæ Patruelis præmaturam communi luctu prosecuturus, hæc pauca ad te scripserim, vt qui recentem adhuc dolorem tuum augere nolim, nec eum subleuare nunc aggrediar. Quo doloris sensu adeò insperatus nuncius me affecerit, dicere vox potuerim, audieram enim post tam diuturnam nauigationem feliciter tandem Clarissimum Comitem nostrum litus obtinuisse, cum fermè illicò de obitu ejus certior factus sum. Non immeritò quidem vicem ejus, vel potius meam doluero, quippe quanta foret ejus in me benevolentia, non me fugiebat, vt qui sæpissimè amoris ejus signa satis luculenta accepissem, imposte- Epist. 7

posterùm haud vulgaria accepturus essem, ni mors invida hoc subsidio, & hac felicitate me orbare voluisset. Faxit, vt in hoc communi dolore, quod opus est, solatium, & leuamen invenire possimus: ego equidem aliquod invenero, si vt huc vsque me amasti, amare perrexeris, vt id abs te etiam, atque etiam, non tantùm peto, sed efflagito. Valetudini tuæ consulas velim. Matriti decimotertio Kalendas Martias anni millesimi sexcentesimi nonagesimi septimi.

AD EVNDEM.

Epist. 8

HOc ipso temporis puncto, quo hæc ad te pauca, & raptim scribo, Celsissime Princeps, duæ litteræ tuæ à fratre tuo per famulum ad me missæ sunt, quibus frustra amorem in me tuum ostendere conaris, cum à multis annis id mihi satis experientia pateat. Hujus tantùm me & tædet, & pœnitet, quod ea benevolentia, & eo studio, me quodammodo negligentia mea indignum præstiterim, nisi forsitan silentii mei causam, & verecundiæ, & timori, tribueris. Verebar enim, ne inter tot delitias, totque voluptates, quas, licèt in ea solitudine, te degustaturum existimabam, te litteræ meæ, quadam molestia afficerent. Cæterùm tibi gratulor, quod firmissima fruaris valetudine, teque vehementèr precor, vt Celsissimam Conjugem nomine meo salutes. Quod in cæteris non tibi obtemperaverim, temporis angustias, & quædam negotia, quibus distineor, & me expedire non licet, causabor. Valetudini tuæ consulas velim, & me ames, vt te amo. Matriti pridie nonas Ianuarij anni millesimi supra nonagesimum sexcentesimi.

AD EVNDEM.

Epist. 9

EX Litteris tuis, meas ad te non delatas esse intelligo, quod quo pacto evenerit, mente assequi nequeo, cum illicò epistolæ tuæ rescripserim, responsumque ad te deferendum, ipso temporis puncto ad fratrem tuum miserim, à quo si litteras acceperis, indubitatè meæ etiam tibi, Celsissime Princeps, eodem tempore traditæ fuerint; quod si secùs contigerit, in fratris tui negligentiam culpa auertenda, & amolienda est; sin minus, iniquæ sorti, per

quam

quàm te de ſtudio meo certiorem facere; mihi minimè licuerit, id adſcribere & potes, & debes. Non enim ita ſum à natura comparatus, vt vnquam beneficiorum, quibus me tibi in æternum devinxiſti, immemorem me præſtare valeam, quippè, quo amore me proſequaris, & ſemper proſequutus ſis, minimè mihi latet. Si autem tantæ benevolentiæ non reſponderem, dignus eſſem, qui non tantum abs te parui fierem, ſed qui ab omnibus meritò damnarer. Verùm his omiſsis, ad ſcriptum Typis mandatum, & mihi abs te miſſum veniamus, id legi & perlegi, Celſiſsime Princeps, & me certa quadam voluptate, & vellicari, & affici ſenſi, cum ex eo, in ea ſolitudine, in qua degis, quæ quamvis incolis abundans, hac cum Aula collata, jure hoc nomine nuncupari poteſt, te ſedulò litteris incumbere, agnoui. Cæterùm, vt eſt tua in me humanitas ignoueris mihi, ſi liberè, longèque ab omni adulatione, quid de eo cenſeam tibi aperuerim, ex quo fonte Latinum illum liquorem hauſeris, ſtatim perſpexi, deſideraſſemque, vt paululò parcius, quæ libaveras, effudiſſes: quamvis enim liceat loquendi formulas imitari, non tamen, vt non te fugit, nobis conceditur, integrum ſenſum vſque ad quinos, vel ſenos verſiculos, ex quolibet Authore depromere. Hæc tibi ſufficiant, vt amorem in te meum cernere valeas: nemo enim majori ſtudio, & amore nos proſequitur, quàm qui vult nos ab omnibus laudari, à nemine autem jure increpari. Celſiſsimam Conjugem tuam nomine meo ſalutes, etiam, atque etiam precor. Valetudinique tuæ conſulas, & me ames. Matriti decimoſexto Kalend. Iunias.

AD EVNDEM.

RAptim adeò diebus præteritis ad te ſcripſi, Celſiſsime Princeps, vt eorum, quæ tibi denuncianda habebam, *Epiſt.* vix minimam partem expoſuerim, tùm quia curſoris pro- 10 fectio inſtabat, tùm quoniam aliundè premebat vrbana neceſsitas, præſentium amicorum colloquium admittendi, quos jam non mediocritèr gravabat longior, quam optaſſent, mora. Nunc verò cum aliquanto ſolutior, & expeditior ſim, licèt non omni ſolicitudine vacuus, quæ prætermiſi, ſtatui ad te ſcribere: gratum primo animum meum

tibi testabor, cum pro tua in me benevolentia, tùm pro muneribus, quæ mihi benignè offers, quæque non minus liberalitèr te mihi præstiturum arbitror; sed absit, Celsissime Princeps, vt non contentus, vt esse debeo, illo amoris tui signo, aliud abs te expetere vnquam videar: sat superque mihi erit, si mei semper memineris, in tutelamque tuam me accipiens, me, meaque, vbi & occasio, & casus postulauerint, tueri dignatus sis, quod ab humanitate tua meritò mihi polliceor. Hac spe innixus, abs te vehementèr postulo, vt dilectissimum fratrem admoneas, eum à me nuperrimè litteris imbutum esse, & forsitan aliquando iterùm informandum, ejus enim sicut & operæ, quam ei omni cura, & diligentià præstiti, oblitus plane videtur: id tamen facias velim, Celsissime Comes, non aperto sermone, ne intelligat me de se, apud te expostulasse, & vt non querelis meis, sed tantùm amori erga me tuo, quidquid scripseris, adscribere possit. Cæterùm, vt interiorem animi mei sensum aperiam, quod in re tàm tenui, tàm diu preces meæ irritæ, & supervacaneæ fuerint, penitùs erubesco, nec tu ipse facile credideris, fratrem tuum, ideòque virtutis æmulum, adeò tui dissimilem, saltem in iis, quæ ad me spectant, extitisse. Celsissimam Conjugem nomine meo salutes, reverentèr te etiam, atque etiam oro, valetudinique tuæ prospicias, & me ames, vt te amo. Matriti pridie Kalend. Iunias.

AD EVNDEM.

Epist. 11

PRomissis tuis necnon assiduis, quæ in me confers beneficiis innixus, Celsissime Princeps, vehementèr abs te postulo, vt rhedam in crastinam diem hora tertia postmeridiani temporis vtendam mihi præbeas: Cum enim domum redirem, jam quotidiano, & solito munere functus, quam nuper tibi dixeram, fęminam nobilem Hispalim profecturam esse, ab vxore mea intellexi; & vt conjugi meæ arctissima est necessitudine conjuncta, nullum officii nec beneficii genus prætermittendum duxi: id autem quod abs te enixè efflagito, haud inter vulgaria annumerabo, & quolibet modo ejus memorem me præstare pro viribus contendam, nec plura. Vale. Matriti decimo quinto Kalendas Octobris.

PRO AMICO, CELSISSIMO COMITI Lochovitzio.

HOnorificum Aurei Velleris beneficium à Rege nostro in te collatum, an mihi potius, quàm tibi, gratuler, Celsissime Princeps, non satis scio, cum nihil gratius, nihilque jucundius mihi contigerit, quàm vbi tuam virtutem hoc insigni Stemmate, condecoratam fuisse accepi: inter omnes enim, qui ad tutelam tuam confugerint, & qui vel benevolentia, vel officiis, tibi deuinciuntur, haud immeritò mihi principem locum vindicauerim: ita, vt quemadmodum Ephestio olim Alexandrum, non Regem, amare dicebatur, ita non Comitem Lochovitzium, sed I.C. diligere dici possim. Hac ratione igitur ductus, hoc amore motus, nihil anxiùs curaui, quàm vt lætitiam tibi meam significarem, & carminibus hisce meis, hisque litteris, licèt rudi minerva exaratis, assererem, me non minorem, quàm te, ex nouo decore tuo voluptatem percepisse. Faxit Deus tibi Nestoreos annos viuenti, innumeri accedant honores, vt gratulabundus, eos carmine canam, aut oratione soluta celebrem, meque tui amantissimum ames. Vale. Matriti quarto Kalendas Iulias. Epist. 12

PETRVS PAVLVS BILLETVS, DILECTISSIMO Franc. D. P. S. D.

IAm dudum, mi Francisce, tuam erga me benevolentiam eram expertus, sed hercle ex nullo magis indicio tuum amorem perspexi, quàm ex illa de opinione mea tuenda cura, & solicitudine, qua & hesterna die, & nuper te affectum esse cognoui. At nollem equidem id tanto dispendio tuo fieri, quippè die Martis præsertim ex sermone tuo satis intellexi, quàm ægrè tuleris, quod audieras de Burgundionis illius defectione, qui novus in militia Miles, sub disciplina mea, vt ita loquar, tyrocinia deponebat; sed absit vt in posterùm tibi bilem excitet, quod mihi duntaxat cachinnum mouet: quid autem de illa defectione haberem, tacui, ne iræ tuæ vt justo incendio materiam subjicerem, silentioque perpetuo premam: malo enim opinionem meam detrimentum aliquod pati, Epist. 13

quam famæ, & existimationi alienæ, vel minimam infamiæ notam inurere. Sed vt leuitèr, nemineque læso, hanc rem attingam. Vel famulus ille spontè sua, vel ex heri imperio à me defecit: si libens, nunquid judicio tuo omnibus amens videbitur? Si ex heri præcepto, quid de hoc sentiendum erit? Quocumque modo res se habuerit, plus detrimenti famulo, quàm vtilitatis domino, ea defectio allatura est, & desertorem commiseratione digniorem, quàm desertum ab omnibus existimatum iri arbitror. Sed hæc inter nos, nolito enim, mi Francisce, has meas cogitationes vlli explicare, vt iterùm vtar illa loquendi formula, quàm fastuosus ille maximus, hesterna die reprobauit, & quàm Ciceronianam esse, injurià equidem inficiatus est. Nolo enim jam rude donatus, ad secundum certamen vocari, non quod bella detrectem, sed quod æquo Marte decertare velim. Nec id immeritò dixerim, quippè arma, viresque, non tantùm ex Latino sermone constant, aliaque majoris momenti necessaria sunt, vt comitas officium, vrbanitas, quæ quidem si desiderentur, nec vtilis, nec decora victoria, esse potest Hæc raptim, nec fusiùs ad te scribere possum, jam enim fores pulsant amici mei lusuri, & nisi plus decoris, & gloriæ, saltem, plus vtilitatis, fortuna favente, ex illo ludicro certamine percipiam. Vale.

PRO AMICO.

Epist. 14 MOris fuit ab omni æuo, Eminentissime Præsul, vt quisque, vel gratum animum testaturus, aut capturus benevolentiam, siue gratiam, & tutelam adepturus, præpotenti munera obtulerit, & primitiuos fructus dicarit: hi autem, quo magis apti, & consentanei, quibus offerebantur, ita & grati, & jucundi magis fiebant, quod equidem, vel ex ipsis sacrificiis vanis antiquitatis numinibus fieri solitis, luce clariùs constat, cum in illis, quid cuique gratum, & proprium foret, sedulò consuleretur. At hercule, tibi sapientium facilè Principi, cui à teneris annis animum, & studiorum fructus devouere, statui quid aptius, quidque gratius excogitare possim, quam has Logicæ Theses, ex Sapientissimo Scholæ Magistro decerptas, qua, vt limine certo aditus ad Philosophiam patet: quemadmodum enim ex similitudine morum oritur amor, qua precor

cor via, quave ratione me tibi, Eminentisſime Præſul, gratiorem, acceptioremque præſtare valeam, quam virtutis amore, & ſapientiæ ſtudio, quà, ſi te non aſſequar, ſcilicèt, quod deficiant vires, te nihilominus aliqua ſimilitudine attingere conatus, non modicam apud omnes gratiam, commendationem, laudem parauero. Si voti compos quodammodo evaſero *In magnis etenim ſi voluiſſe ſat eſt*, cum vel primoribus labris hos ſapientiæ fructus delibaſſe non immeritò dicar, & hos favente Deo penitùs deguſtare apud me ſtatuerim, quamvis optatum finem non obtineam, non tamen incœpto debita laus negari poſsit, quod cum ita ſe habeat quantò majori fiducia te hæc primordia, vt eſt humanitas, & æquitas tua, æquo, & grato animo accepturum ſpero; hac autem certa ſpe fretus, quantò majore conatu, hoc opus ſemel aggreſſus, ad finem perducere contendam.

Benignè accipias, conceptamque ſpem foveas, & firmes, valetudini tuæ conſulas, meque tibi addictiſsimum, tuique amantiſsimum ames velim. Matriti.

DE PRÆROGATIVIS, ET EXCELLENTIIS Artium, Linguarum, Scientiarumque Profeſſorum:

AD DILECTISSIMVM AMICVM N. COPPOLA Petri Pauli Billeti Pariſienſis Epiſtola.

PVblicæ, non tuæ, vtilitati conſulens, dilectiſsime Coppola, Patriam, qua nihil viro probo carius, reliquiſti, ſi tamen, ex illa in hanc migraſſe, relinquere dici poſsit. *Epiſt.* 15
Quot autem, & quam adverſa pertuleris, non me fugit; neminem vero æquiore animo, adverſos fortunæ caſus paſſum eſſe, memini. Vnde ſæpè, non ſolatio, ſed gratulatione, tecum vtendum cenſui. Nec immeritò quidem, in ſpem etenim, tùm ex conſcientia facti, tùm ex quorumdam promiſsis adductus videbaris, te aliquando proſperiori, feliciorique ſorte vſurum. Quoties autem hæc tua ſpes ceciderit, quoties deluſa fuerit, quis dicere valeat? Verùm reflante aura, æſtuque furenti actus, animo in-

fracto ſemper nobis viſus es, mirabar: Neſciebam enim, vnde tanta animi firmitas, & fortitudo, donec mihi ſenſus aperuiſti, tuos, & fiduciam, mentiſque tuæ quietem, ex puro, & liquido mirificæ ſcientiæ tuæ fonte, haurire, animadverti; quod ſimul ac noui, lætatus ſummoperè, tibique verè gratulatus ſum, vt qui probè ſcirem, vt & alii noſcere valent, te nunquam ex illa deturbatum iri. In hanc vnam, dilectiſsime, meritò adduci potes, quæ meritis innixa tuis, nunquam ruerit, nunquam te fefellerit. Quælibet alia, promiſsis quamplurimorum huius æui procerum, fide, amore, gratia, illecebris, nixa, incerta eſt, caduca, auraque leuiſsima leuior. Periere multis ab hinc annis Mecœnates, & ſi quis ſit litterarum amor, humiliori fortuna gaudet. Quid precor ſperandum ſit, dum cuilibet, ſcientia vitio datur? Quî, dic, amabo, ad virtutem, & ſcientiarum amorem, excitari poſsint Magnates? An aliorum exemplo? Quis præbeat? Num famulorum, ſtipantiumque conſilio, cum hoc tantùm in aures ſufflare audiantur: *Studeant alii, Celſiſsime Princeps, ſat tibi erit amplitudo tua, vectigalque tuum.* Quodnam vtile, quæ commoda, ex illorum liberalitate percepiſti? Scilicèt, maximum tibi præmium impertiri putaverint, ſi te ad fores ſpectantem, in conſpectum ſuum tandem admiſerint. Si quid dederint, multoties rogati, ſæpius tamen abnuerint, quod ego, & tu ſatis, nec ſine rubore, teſtari poſsimus; ſi ſpontè largiantur, ferè nihil; ſi qua ſit in illis munificentia, ex turpi, aut ridicula voluptate ſemper oriatur, ſi hoc nomine vocanda eſt, quæ in gratiam, aut veneris, aut ſcurrarum, exerceatur, damnanda prodigalitas; ſi quæ dona conferant, id tantum erga æquales præſtiterint, quod equidem ſatiùs commercium vocauerimus, cum ſpe tantum munera impertiantur, quorum ſi nulla remuneratio, indè probra, querelæ, obtrectationes: quæ cum ita ſe habeant, vnde nobis ſpes eluceat? Quis laborum finis? Quæ ſtudiorum merces? Nulla prorſùs, fruſtra ſudaverimus, incaſſùm alſerimus, aût mercedis loco, nobis erit humilioris conditionis hominum exiſtimatio, & voluptas, quam ex cognitione noſtri percepimus; Illa grata quidem, verùm inutilis, non ex animo, ſed ex exiſtimantium penuria; hæc non jucunda minùs, ſed ad vtile nihil penitùs conferens. Hæc

eſt

est, mi Nicolae, misera litteratorum conditio, hæc lugenda, & tristis eruditorum, & erudientium calamitas. Qui succurrere valent, opem renuunt, quia *ignoti nulla cupido*: qui præstare cupiunt, ab angustiis, & rerum inopia sæpissime arcentur: ne tamen credideris, in hoc tantùm, infortunium sistere nostrum: felices quodammodo, etiam in rebus adversis, esse possemus, ni prædictis esset pejor altera lues, scilicèt inuidi, & præsertim, si qua doctrina, & authoritate polleant. Non enim fama sua, bonisque paratis, contenti, nihil non excogitant, nihil non moliuntur, quò aliorum opinionem minuant, eorumque famæ notam inurere possint; quod equidem facilè admodum assequuntur, cum non operosum sit, aciei obtusæ oculis, caliginem obfundere. Absit, mi Nicolae, vt his verbis, animum exasperare tuum, vulneraque, si forte obducta essent, renovare, & refricare videar. Novisti mentem nostram, & quoties tuam doloris sensu agitatam, sedare non frustrà curauerim. Absit etiam, vt illorum iniquis conatibus, te ab instituta ratione, & inita via abducere velim: quin te absterream, pergere consuluero; at quò grauioribus verbis te dilaceraverint inuidi, eò humaniùs in eos consule, eo benigniùs cum illis agito: Ni hac via eorum iram, odium, consilia perfregeris, saltem deridendos efficias, sin minus hæc mente teneto:

Inuidiæ morbo præsens malè judicat ætas,
Judicium melius posteritatis erit.

Ita ne? inquies, ergò nobis lucis vsura fruentibus, plausu merito, haud frui licebit? Ex eandem artem exercentibus, quem speraueris, ne doleas, si eum non obtinueris. Triti memento huius adagii, *Figulus figulum odit*, idem profitentes, eadem non inuenisse tædet, & te adinuenisse fateri pudeat. At quæ te viuentem insectatur inuidia, post obitum lacessere desinet: *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.* An quæso rem alias secùs se habuisse existimas? Falleris, vixque inuenias exemplum, quod huic adversetur sententiæ; sed omissis, qui eandem exercent artem, vbi non gentium, opus (vel omnibus numeris absolutum) reperias, cunctis laudatum, atque probatum? Sat tibi fuerit, igitur si inter multos quidam laudarint; at tibi sit solatio, quæ tu reperisti, neminem inuenisse, qui non

pro-

probarint, illud ſaltem inficiari nequiverint, aut ſi inficiati fuerint, te mendacio vlciſcentur, & cum hæc anteà ab vllo non inventa fuiſſe ſatis conſtet, illatæ injuriæ, teſte conſcientiâ, pœnas dederint. Pergito igitur, mi Nicolae, & vt ſtatuiſſe mihi viſus es, à cura rei alienæ domeſticæ, animum matheſi edocendæ, vt alias, adjice integrum. Rationum Magiſter, vt nunc es, vni tantum emolumento eſſe poſsis, Matheſeos Profeſſor, innumeris prodeſſe valeas. Hæc inter duo, quantum ſit diſcriminis, quis, niſi lucis orbus, non videat? Nec refert, quod ſecùs ignari, & fatui cenſeant, vt ſuperiùs enim innui. *Ignoti nulla cupido.* Hæc autem, vt exiſtimatio, ex rerum cognitione ortum ducit. Verùm, vt errorem deponant, qui ſecùs arbitrentur, hæc tantùm dixerim. Cui, quodlibet miniſterium adhibenti, ſcripſit vnquam Philippus Macedo, quàm Ariſtoteli perferendam epiſtolam exarauit, cujus verba, cum neminem ferè lateant, non hic referenda cenſeo? Nùm in ejuſdem gratiam Stagiram, illius Patriam, reedificari, & inſtaurari voluit Alexander, quem decem annis, aut octo, vt ferunt alii, inſtituit, cujus Præceptor, ſcriba & ſocius fuit? His tamen omnibus titulis decoratus, nùm poſt Alexandrum in Aſiam profectum, tredecim annis in Lycæo Philoſophiam edocuit? Num quid Theodoſius nomine Magnus iratus dicitur, quod ſub Arſenio litteris operam nauantes, Cæſares filios ſedentes, Arſenium verò ſtantem deprehendiſſet, vnde ipſo temporis puncto, Cæſares ſtare, Arſenium ſedere juſsit? Nùm Antoninus Pius, qui Marcum Aurelium adoptaverat, ad Apollonium, quem ex Athenis evocaverat, vt juvenem, imperii ſocium erudiret, eum viſurum, officioſeque ſalutaturum, ad diuerſorium miſit? Nonne ipſe Marcus Aurelius, quos habuit artium, linguarum, & ſcientiarum Magiſtros, qui non pauci fuere, adeò ſingulari ſtudio, & honore coluit, vt viuentes, ad maximos honores evexerit, poſt obitum autem, eorum ſigna, auro ducenda, atque domeſticos Deos inter ſuos collocanda curaverit, tumulos eorum inviſerit, victimas in ſacrificium mactaverit, eos omni florum genere inſperſerit? Nùm Longinus, cujus de ſublimiori ſcribendi modo tractatus Græcè, ornatè, & elegantèr elucubratus, omnibus Doctorum manibus, magna cum admiratione teritur,

tur, ſumma cum voluptate legitur, à Cenobia evocatus, vt eam Græcis litteris imbueret, eidem à ſanctioribus conſilijs, publicique ſtatus adminiſter fuit? At quid plura? citius Maris arenas enumerauerimus, quàm ſimilia cultus, honoris, reverentiæ, & amoris erga Magiſtros, exempla, quæ paſsim apud Scriptores leguntur. Verùm enim vero, ſi quis hanc, vel iſtam ſcientiam edocuerit, tanti factus ſit, quanti habendus erit, qui plures edocere valeat? Nec ſi illis, vt fieri debuit, hic honos non habitus eſſet, ideò minus ſpectandi forent magiſtri. Vt enim aurum, vniones, gemmæ, non tantùm ex æſtimatione hominum, ſed etiam à pulchritudine, ſplendore, & pretio, vt ita dicam, his à natura indito valent, cum nullum inter metalla ſit ſplendidius auro, nihil inter opera naturæ inanimata, margaritis pulchrius, nihil gemmis lucidius, ita artes & ſcientiæ, pretioſæ animi gemmæ, magni faciendæ ſunt, vt quæ, quidquid ornatus, & ſplendoris habeat homo, id in eum conferant. Quid enim corpus, anima tantùm, ſine artibus, & ſcientiis informatum? Num, precor, brutum animans inter homines videatur? At herculè, ſi tanti faciendæ ſunt artes, & ſcientiæ, num pluris fuerit faciendus, qui eas edoceat? Ridiculum enim, & penitùs abſurdum, aquam magni æſtimare, ſcaturiginem verò ſpernere. Verùm, etiam poſt natum hominum genus, artes, & ſcientiæ in magno loco fuere. Non etenim primis parentibus, vt eos in peccatum induceret, & ad rebellionem in ſupremum naturæ Authorem alliceret, imperia, aut diuitias, ſed tantùm ſcientias pollicitus eſt cacodæmon, vnde ſatis patet, has opibus anteferendas, earumque magiſtris, ſummum honorem habendum eſſe, nec officii ridicula quorumdam objectio, decus, quæſito inde lucro, minui, ſiquidem inter eos, quos recenſuimus, innumeroſque alios artium, & ſcientiarum Profeſſores, vix vnus reperiatur, qui gratuitò edocuerit: nec Ariſtoteles, adeò etiam Alexandri beneficiis ditatus, vt nihil prorſus illi deſiderandum eſſet, tredecim annis, vt ſuperius monuimus, gratis in Lycæo Philoſophiam edocuit. Verùm omiſsis magiſtris, quis precor, in hoc vitæ humanæ curriculo, cujuſvis ſit conditionis, & profeſsionis, vlla ſine mercede, officio fungitur aliquo? Omnes mutuæ cujuſdam vtilitatis vinculo devincimur, atque illigamur;

nec terrarum Orbis Dominos, ex hac communi necessitate solutos, & immunes esse dixerimus. Ad hæc accedit animi dotes, non pejoris, imò longè melioris esse conditionis, quam prædiorum fructus, & vt nobilissimo cuique dedecori non vertitur, si eos vendiderit, ita nec docto cuilibet vertendum, si ex illis compendium fecerit. Cæterùm, si his omnibus argumentis, & rationibus spretis, qui Magistris debetur, non habeant omnes honorem, nec vt par est, eos magnifaciant, non tibi mirum magis fuerit, mi Nicolae, quam si porcos gemmas, & vniones pedibus calcantes videas, nec sub specie hominum, cunctos esse homines suasum habeas, sed inter innumeros, & mihi, & tibi optimè notos, quos recta ratione, & ingenio præditos videris, hos tantùm speciem referre suam crediderìs, hi autem, bone Deus, quàm pauci! Hæc multis de causis dicenda putaui, innumeraque alia dicerem, quæ multis non injucunda forent; sed aliquando plura. Nunc tamen, si quibusdam fusior aliquantulo visus ero, hos inter quos nihili faciendos putem, habuerim, & quibus ideò placere, ceu displicere, susque, deque habeo; doctis autem, & sapientibus, breuissimus visus fuero. Vale, & me ama.

PRO AMICO NICOLAO COPPOLA.

AD PROFESSORES CELEBERRIMÆ Louaniensis Academiæ.

Epist. 16 EX scriptis antea à me in lucem editis die vigesimoprimo mensis Ianuarii anni præteriti, plus satis vobis constiterit, doctissimi, illustrissimique Viri, quanti faciam, & quanto honore prosequar, qui mathemata profitentur si quidem *pag. 30. ponè* §. 2. ad convicia, quæ nulla injuria prouocatus, in me conjecit Militum Tribunus *Sebastianus Fern. de Medrano* (cum tantùm de scientia, & quorumdam problematum demonstratione ageretur) modestè admodùm respondi, & omni cum existimationis significatione, qua illum, vtpotè Matheseos peritum, dignum judicaueram: nunc autem non vobis mirùm videbitur, si non injurias vlturus, sed tantùm veritatem, & doctrinam ab inuidia, & iniqua calumnia vindicaturus, prædi-

ctum

dictum *Sebastianum* aliquantulùm punxero, vt qui odio infestissimo commotus, non tantùm, non resipuerit, sed justitiæ, & vrbanitatis simul, nec semel, limites prætergressus sit, vt satis colligi potest ex ejus scripto, cui nomen est, *DESENGAño*, &c.......................................
Bruxelis Typis mandato die ....mensis...............
anni præteriti, & posteà tandem, ex vltimo nunciorum publicorum capite, ibidem, primo Julii mensis die ejusdem anni, Prœlo excuso. Quibus tamen plus damni sibi, quam mihi intulit cum, vt denuò dicam, veritatis tuendæ magis, quàm injuriæ vlciscendæ causa, vniuerso terrarum Orbi, ignorationem, simulque immodicam sui fiduciam, omnibus notam facere statuerim; verùm id præ cæteris ægrè admodùm tuli, quod, vt erroribus, quibus passim scatent, quæ in mea scripta effutire non erubuit, fucosam scientiæ speciem obduceret nomen, atque vestræ celeberrimæ Scholæ authoritatem adhibuerit. Quod equidem, doctissimi, clarissimique Viri, sine doctrinæ vestræ (nunquam satis probatæ, & laudatæ) magno dedecore fieri nequit, & cui damno, vobis occurrendum est, ne latius serpat, & quem hac, & illac scriptis suis disseminavit, insanus rumor divulgetur. Quod ad me attinet, credo jam satis fuisse, & abundè mihi fore imposterùm, vnde quantula sit illius peritia, omnibus patefaciam.

Cæterùm ne mentes, aurésque vestras questibus diutius obtundam, reliquum est tantùm, vt in significationem honoris, quem semper vobis & habui, & habiturus sum, supplex efflagitem, vt hoc opusculum, non solùm oculis lustrare, sed accuratè perpendere dignemini, & tandem, si in illo quemdam errorem deprehenderitis, & animadverteritis, eum illa cum claritate, quam doctrina nostra postulat, mihi demonstrare vobis lubeat. Quod si præstiteritis, ipse audaciam meam damnauero; sin autem, vt est, & esse debet, vestra in litteratos humanitas, & benevolentia, vos peritissimi, clarissimique Viri, hoc ipsum opusculum, in veritatis decus, calumniæ vindictam, & ad publicam vtilitatem, probaturos authoritateque vestra firmaturos, spero, atque confido. Matriti sexto Kalendas Junii.

PRO EODEM.

EMINENTISSIMO PRINCIPI BENEDICTO Pamphilio Cardinali meritissimo, Bononiæ Legato, sanguine clarissimo, necnon omnibus virtutibus ornatissimo.

Epist. 17 QVædam ad publicam Patriæ vtilitatem spectantia inauspicato aggressus, siquidem infelicitèr cessere, in adversæ sortis solatium, speique excisæ leuamen, quæ nunc ad tutelam tuam confugiunt, Eminentissime Præsul, Matheseos problemata meditatus, in lucem edidi. Si tenuitatem muneris spectem, tibi equidem dicari, indignum existimem; si verò humanitatem tuam, & erga litterarum studiosos benevolentiam perpenderim, non injucundum tibi fore putem, & quin benignissime id excepturus sis, nequaquam dubitavero. Vt enim omni litterarum genere instructus, non minus præclaris ingenii dotibus, quàm sanguinis claritate eluces, quantùm in enitendis his doctrinæ fœtibus desudandum sit, non immeritò in spem venio, hos tibi meos gratos fore. At herclè, si tibi accepti fuerint, cur impostèrum, quibus hucusque scripta mea petita fuere; invidiæ mordacis, & iniquæ tela verear? Immò certa spes inde nobis illucet, hæc modò retusum, aut saltem in æmulos retortum iri, & præsertim, cum non ad tuum confugium supplex accedam, mendas, & errores, si qui fuerint, nominis tui tutamine defensurus, sed tantùm ab antiqua invidorum, & imperitorum calumnia scripta mea vindicaturus. Nihil enim abs te enixiùs efflagito, Purpurate Princeps, nihil gratius abs te sperare possum, quàm si ea accuratissimè expendenda curaueris, & expensa, si quæ fuerint, quæ doctrinæ repugnare videantur, damnari jubeas. Quippe si secùs expetam, aut abs te mihi concessum iri arbitrer, eà quam vehementèr expeto, tutela, me prorsus indignum præstiterim, scilicèt, vt qui justissimi Principis gratiam, benevolentiamque tantùm captare, & aucupari viderer, veritati insidias moliturus, & vt iniquè oculis omnium ignorantiæ caligines offunderem. Verùm si hæc opuscula, jussu tuo, semel perpensa, Matheseos pe-

ritis probata fuerint, ea simul, authoritate tua, confirmare velis, etiam, atque etiam precor, vt mens iniqui livoris aculeis exagitata, calumniisque lacessita, hoc tuo nixa tutamine, ad majora enitatur, dignioraque tibi scribere valeat, vt ea tandem in æmulorum dedecus, veritatis præsidium, scientiæ splendorem, & grati animi, observantiæque meæ monumentum, perpetuò maneant. Vale Matriti 15. Kalend. Maii 1693.

PRO EODEM.

HÆc problemata mea, nouissimè in lucem edita, libentissimè admodùm ad te mitto, clarissime, doctissimeque Vir, vt qui perspectum habeam, quæ ante Prœlo excusa sunt, jucunda, grataque tibi fuisse, scilicèt quòd ab omni inuidiæ, & æmulationis genere liber, atque expeditus, ea legeris, & perpenderis, non autem inimicorum instar meorum, quibus præter liuorem, nihil est, nisi ignoratio, aut æmulorum, qui si doctrina instructi sint, ab æmulatione, scientiæ suæ caligines ita obfundi patiuntur, vt penitùs ignari videantur. Quod equidem ita se habere, ex hoc opusculo plus satis conjicere poteris, cùm passim & vbique, vt indignis in me probris illorum, & horum, ita ignorantia scateat. Quod novissima tamen, & illis incognita tractare aggressus sim, id vnum in illos peccavi, cujus me nec pudet, nec pœnitet; & præserrim, cum probè sim mihi conscius, nihil in his meis scriptis inveniri, quod veritati, aut scientiæ repugnet. Cæterùm, quæ nunc vetera, aliquando novissima fuere. Non omnia hucusque inventa sunt, & aliquid perpetuò inuenietur, quamvis nihil novi esse sub Sole, vulgaris, immò sapientis sententia ferat; sed quæ ita non intelligenda est, vt aliquid in scientia, & in primis, de qua agitur, reperiri nequeat. Parce precor, si fuerim aliquantulò verbosior, quàm te occupatissimum virum deceat. Vale. *Epist.* 18

ILLVSTRISSIMO, CLARISSIMOQVE Emmanueli Toletano.

Epist. 19 QVam graui afficiar dolore, cum te toties invisurus adeam, nec videre liceat, vix vllis verbis explicare valuero, & quantum mœroris mihi afferat auersa mens, aut oblivio tua, satis exponere nequeo. Qui enim nomine tuo, singulis diebus mihi aliquid referunt, de postulationibus meis reticent, quod, vt credere est, nihil mihi super his à te respondere jubeantur. Gratulor, quod ventum expavescens, hodie è lecto non surrexeris, verùm vt non satis mihi constat, an crastina die tui copiam facturus sis, & an tempus in melius sit cessurum, surgendique ansam præbiturum sit, vehementèr abs te peto, vt quam opem nuperrimè expostulaveram, quam citius per te licuerit, præstare digneris, vrget enim intolerabile prorsus necessitatis, penuriæque telũ, nec plura: me tibi obsequentissimum ames, valetudinique tuæ consulas velim. Domi sexto idus Martias.

AD EVNDEM.

Epist. 20 AD Te scribere intermisi, non equidem negotiis implicitus, sed quod frequentissimis litteris molestiam potius, quàm voluptatem afferre putabam, vt qui ex observantiæ, officii, & amoris legibus, tibi ægrotanti (te enim malè habere intellexeram) dolorem meum aperire tenerer: perspectum quippè habeo, in ægritudine corporis grauissima sæpè, non autem jucunda esse hæc benevolentiæ argumenta: nunc verùm, cum ab ipso nobilissimo, dilectissimoque fratre tuo, jam tibi meliusculè esse acceperim, tibi gratulari statim apud me decrevi, & mihi simul gratulor, quod ad te, jam pristinæ sanitati restitutum, hæ litteræ sint perventuræ; quas, si vt felicitèr auguror, eo salutis habitu acceperis, quem vehementèr admodùm cupio, & si per me liceret tibi omni studio, diligentia, & solicitudine curarem, te etiam, atque etiam oro, vt ad me pauca rescribas, quibus saltem te mei meminisse cognoscam. Verùm, cum de fratre verba fecerim, audio te percunctantem quid præter ea, quæ antea significavi, dixerit mihi; an semel illum

invi-

invíſerim, & denique an continuò ſim inviſurus, ad ea autem accuratè reſpondens, dicam me ab illo in ſpem denuò vocatum, in quam ſæpiſsimè adduxit, cæterùm, quod in hac re moras nectat, non miror, aut ſaltem mirari deſii, vbi de facultatibus, aut vt melius dicam, de illius indigentia, quæ anteà me prorſus latebant, accepi, nec plura, valetudini tuæ, & ſervandæ, & tuendæ, quam potueris, accuratè conſulas velim, & me tui amantiſsimum, tibique addictiſsimum mutuò ames. Matriti pridie nonas Apriles.

AD EVNDEM.

OCto ante dies, ſtatueram ad te ſcribere, clariſsime Vir, mox verò ſententiam mutavi, ne eò vbi es, nuperrimè advecto, quid negotii litteræ meæ tibi faceſſerent, cum ad eas, vt eſt humanitas, benevolentiaque in me tua, te reſcripturum pollicitus ſis; ideòque his reſpondere tenereris: nunc autem, vt ab itinere te jam requieviſſe exiſtimo, ſi aliquid otii fortè nactus fueris, te ad me libenti animo reſcripturum confido, ſiquidem juſſus ſcribo, litteraſque meas tibi ſemper jucundas fore affirmaſti. Verùm forſitan, & mandati, & promiſſorum oblitus eris, nec immeritò id dicere videar, cum probè ſcias, te plura antequam hinc profectus ſis, facturum mihi promiſiſſe, quæ infecta reliquiſti: Vos etenim clariſsimo, nobiliſsimoque genere orti, fidem, memoriamque inferioribus præſtare teneri, non creditis: quod cum ita ſit, ne mireris, ſi precibus te ſæpiſsimè laceſſero. Hæ quippè operæ pretium eſt, vt in meritorum ſupplementum veniant. Parce, ſi te cum querar, & expoſtulem, hoc tantùm miſero, & infelici licet, & vt nihil gratius, quàm quod abs te petieram, quodque promiſeras, mihi vnquam contingere poterat, ita non tibi mirum viſum fuerit, ſi ea ſpe deiectus, ſaltem ad tempus præſens, in doloris ſolatium, querelas adhibeam. Vtinam, clariſsime Vir, res meas, vt ſunt, perſpiceres; forſan apud te precibus non indigerem, & quæ rogatus, ſæpe hucuſque non præſtitiſti, ſpontè efficeres: At dices, fratri meo te commendavi, verum eſt, ſed vt ſum à natura comparatus, niſi accerſitus, illum adire non audeam, & quamvis te authore, id factum iri, in ſpem venerim, quando

Epiſt. 21

donam quæso? Fortè jam ille à sententia discesserit, quod si ita sit, vt esse potest, spes nostra evanuit: fac igitur vt quod, dum aderas, verbis non mihi obtinuisti, litteris tuis assequaris; plus etenim beneficii, præsidii, & vtilitatis ex illis, quàm ex supplicibus petitionibus meis spero, vt qui sciam commendationem tuam, cùm apud fratrem, túm apud patrem tuum singularem, & potissimam esse. Si id feceris, te mei amantissimum, & simul benignum præstiteris, sin minus, saltem posteriorum promissorum memineris, à te vehementèr rogo. Cæterùm vt iam imminent expeditiones hujusce anni militares, & si quam adeptus es anteà, & adepturus es gloria, magnoperè delector; attamen quæ aditurus es pericula, horreo; quantùm potueris igitur, seruato decore, salvus, & incolumis sis velim. Verùm cur hac in re tibi consulam, qui nomini, gloriæ, & virtuti potiùs, quàm vitæ, semper sis consulturus. Vale. Matriti, decimo-sexto Kalend. Iunii.

AD EVNDEM.

Epist. 22

SVperioribus meis litteris Gallicè scriptis, satis, vt credo, intellexeris, clarissime, & amantissime Vir, quam de tua valetudine sollicitus essem, quod ad me hucusque nullæ sint delatæ litteræ tuæ, hac verò sollicitudine adductus, Iosephum nostrum adii, nempè ab eo sciscitaturus, an ad parentes scripsisses; quamuis enim tuæ erga me benevolentiæ nullam prorsus dedisses significationem, hoc tamen vsus essem solatio, scilicèt quod intellexissem, te benè valere; & si enim arbitrari, & credere possim, te summis, periculósisque occupationibus distineri, & præsertim cum mari, & terra, vt pro comperto habetur, Rhoda nostra, ab hoste obsideatur; ideoque in tanto periculo, nihil otii ad scribendum tibi esse jure putem; attamen, vt ad timorem pronus est semper amor, cùm tibi, tùm mihi vereor, cum tuis litteris careo, aut illi carent, ad quos, non amicitiæ tantùm, sed officii jure eas perferendas curare deberes. Aliquando etiam in meliorem spem, & in sollicitudinis levamen subdubito, nec immeritò quidem, quod nihil scribas ex pigritia tua oriri, vitæ enim rationem te non mutasse arbitror, & genio tuo, te aliquantulum saltem in hoc indulgere existimo. Vtinam ita non esset, vtilior tibi fuisset ope-

ta nostra, sed si vbi ad nos redieris, quod prout desiderio tui angor, nunquam sat brevi tempore fieri potest, aliam agendi viam inibis præterita damna te assiduo, & improbo labore compensaturum confido, ad quod me herculè, vt verbis præsentem adhortari non desinebam, te absentem litteris continuò incitabo. Sed de his satis, ad alia transeamus. Forsitàn velis, sæpè enim ad te velle mihi significasti, vt quid noui ad te scribam. Ne viuam, si quid sit hic, abs te, vel sciri, vel cupi dignum, vna Regis profectione excepta. Res quippè in dies, in deteriore loco esse, quàm quo reliquisti, & facultates vndique exhauriri non novum est. In leuamen autem horum malorum, spes pacis illucet, an veris, vel fictis luminibus, quæ verò de illa vagantur plurima, sed incerta. De belli apparatibus non est cur te certiorem facere velim, ad quem prius, quàm ad nos perueniant, nuncii non dubii perferantur. Res meæ, vt tibi curæ sint, vehementèr te rogo. Cæterùm si verbosior fuerit epistola, quàm velles, & angustiæ temporis tui peterent, breviorem tamen, quàm ego desiderem, esse credas. Vbi enim plurima cum absentibus communicanda sunt, paucis id fieri nequit. Satis igitur habeas, quod multa in aliud tempus differam. Vale, & me ama. Pridie nonas Iunii.

P. PAVLVS BILLETVS S. D. S. C. I. Villanovensi.

DVobus ab hinc mensibus, hac in Vrbe vitam dego, si dies in ærumnis agere, viuere est. Amicorum quippè fidorum societate, charissimorum liberorum præsentia, & amantissimæ conjugis solatio, omni denique levamine destitutus, hac in celeberrima Ciuitate, tamquam in solitudine, non equidem viuere, sed mori, mihi videor. Hos verò labores, hos tantùm, vt veriùs dicam, cruciatus per tantùm temporis intervallum ferre minimè potuissem, nisi interdùm litteris ad me ex Hispania scriptis, veluti aliquo medicamine vsus, mentem propè mœrore confectam, & corroborare, & reficere essem conatus. Ast enim, quamvis hanc ægritudini medicinam adhibuerim, optato semper successu caruit, nec causa latebat. Tuarum enim litte- *Epist. 23.*

rarum, quibus nihil mihi gratius, nihil vtilius contingere poterat adminiculum desiderabatur. Tuis fretus promissis, te ad me scripturum, aut saltem rescripturum, speraveram, & in adversis rebus meis nihil me herculè,& grauius, & intolerabilius expertus sum, quam ab illa mente deturbari, quæ quidem, vt anteà dixi, ex pollicitationibus tuis concepta, litterisque tandem, quas abs te Cæsaraugustæ acceperam, firmata mihi adeò certa videbatur, vt præ ea, alia quæcumque infirma, instabiliaque censerem. Quid igitur in te peccaui, Illustrisime Vir? Quid commisi, quo hanc oblivionem meritus sim, aut tuam in me concitaverim iram? Siccine spem meam fallis? Hoccine modo promisis tuis stas? Vbi nam igitur obstricta fides? Sed quo me rapit luctus, & animi angor. Parce, mi Iosephe, parce insano dolori. Quin mihi rescripseris, nec possum, nec dubitare licet. Non igitur de te, sed tantùm de iniqua, crudelique, & invicta fortuna meritò conquerar, cuius dolis litteræ tuæ mihi surreptæ, cuius sævo liuore hoc levamine sum frustratus. Inimica sors, vt inchoatum opus perficeret, vt me jam vxore, dilectisimisque liberis prope orbum,ad incitas redigeret, vt animum tandem doloris pondere grauatum, & oppressum obrueret, penitùs nihil sæuius excogitare, nihil durius moliri poterat. Illud enim vnicum solatium superesset, illud vnicum bonum, vt abs te aliquando amoris in me tui signa viderem, quod nisi abstulisset, quas innocens pœnas luo, me æquiori animo, perlaturum compererat. Ita est, mi Iosephe, sed ne his fraudibus illi diutiùs vti liceat, ne imposterùm me posit illudere, qua litteræ tuæ ad me securius deferantur, tutiorem viam excogites velim: certa quidem non deerit tibi; & si deerit, vnam indicabo, modo enim mihi scribas sub nomine Domini F. Bernaldi de Quiròs, ad me indubitatè pervenient epistolæ tuæ, meas deinceps tibi redditum iri, certum scio, eademque via,qua hæ tibi reddentur,continuò vtar, dum vsque aut induciis, aut alio quovis modo ad te mihi aditus patefiat; nec tibi mirum videatur,si sententiam mutaverim, nostrorum enim Hispanorum moribus, & indoli ita sum assuefactus,vt aut Matriti sit mihi degendum, aut Parisiis obeundum; non hac dumtaxat causa ductus, hoc consilium inivi, sed ratione habita mutatæ

Rei-

Reipublicæ administrationis, qua quidem accuratè, & explorata, & expensa, me non deinceps iniquæ persecutioni obnoxium, futurum esse confido. Pauca de hac Vrbe subjiciam, ne jam fusior æquo, tædium tibi adferam. Hic multa mihi arrident, non displicent pauca; vicorum immunditiеs ferè vt Matriti, sed non vt Matriti aer purus, & salubris; Imbres immodici, immanis calor, ideòque horrida & crebra tonitrua, frequentia Hebræorum, fœminarum effrænata libido, conjugum, vbi pulchræ sunt, nec vlla generis nobilitate conspicuæ, intolerabilis, necnon aliquando Maritis exitiosa superbia, maritorum indecora, & turpis tolerantia, vel spontanea, vel coacta: paucæ rixæ, sed tamen cedes non paucæ, pedissequorum petulantia, & vanitas immoderata, aurigarum nusquam visa arrogantia, forsitan quod & olim Nero, aliique Imperatores, idem munus obierint, aliaque multa, quæ silentio prætereunda duxi. Valetudini tuæ consule, & me tibi addictissimum, tuique amantissimum ama. Romæ pridie Idus Augusti.

AD EVNDEM.

Ecquid litterarum, quas abs te Romæ accepi dolosis, fallacibusque illecebris me decipere statuisti, fiduciamque meam aucupaturus iis retibus vsus es, & ægritudini, de qua & querebar, & apud te conquerebar, medicamen visus es adhibere, scilicèt, vt in graviorem morbum inciderem? Beasti me, mi Iosephe, sed vt me infeliciorem, quàm anteà redderes: animum tristitia, & dolore confectum epistola tua refecisti, nempè vt illa fractus voluptate, tandiù expectata, statimque peritura haud par essem exantlare labores, & ex memoria gaudii acerbior, & acutior fieret doloris sensus? Adeòne igitur de te male meritus sum, vt hanc de me vindictam sumere velis, vt has tibi pœnas dare cogar? At herculè sum mihi probè conscius, me nihil in te admisisse, nisi fortè, quod nimis sit in te amor meus, sed non tantùm criminis non me pudet, imò summoperè glorior, valdequè mihi gratulor, nec pauci ejusdem conscii tibi plectendi erunt, si nulli te amore prosequenti ignoveris, plurimosque imò innumeros sortis comites habeo, si in eos pariter, ac in me sævieris. Forsitan

Epist. 24

tibi æquo liberius sensus meos aperire, aut non expensa satis impari sorte nostra, quàm deceret familiarius, tibi scribere visus fuero, amicitiæ quidem jura non me latent, hisque superioribus inferiores aliquo modo æquari non me fugit. Attamen non vrbanitas legum ita sum ignarus, nec iis contemnendis assuetus adeò, vt hac in re tibi, nec vlli justè redarguendus videar. Cum primò tuis carerem litteris, hoc adversus dolorem solatio vti licebat, hoc adhibere juvabat. Fortè fortuna (hæc apud me) litteræ nostræ ad nostrumIosephum non pervenerunt, aut quas scripsit nobis, non redditæ, nunc verò, vel si juvaret, hoc levamine nobis non licet vti, quippè quin meæ tibi redditæ sint, tuæ autem, si quas scripsisses ad me, certo essent perlatæ, minimè dubito; at enim dices, plurimis implicito negotiis non rescribere licuit: absit, mi Iosephe, absit, vt hanc afferas excusationem, si enim grave Reipublicæ administrationis pondus, tu solus sustineres, tuisque exantlares humeris, otii tamen satis nancisci posses, quo studio erga te meo valeres satisfacere, quod equidē his verbis, nullo labore, nulloque temporis dispendio, fieri posset, quod valeas, & me ames, gaudeo, quod valeam, & te amem paritèr gauisurum spero. Vale. Hæc pauca sunt, sed tamen, quæ & testando amori, & consuetudini firmandæ sufficiant.

Paulò longiores proculdubiò videbuntur tibi querelæ nostri doloris, nihilominus mensuram non tantùm non excedunt, imò non exæquant; vnde quanti te faciam, & quantus sit amor noster, haud difficultèr conjicere potes, si promissorum igitur memoria manet, si servandorum cura non penitùs euanuerit, si est tibi quædam in exulem pietas, si consolandi miseri desiderium, si sublevandæ animi ægritudinis pia voluntas, si tandem viuente vxore, viduo marito, salvisque, & incolumibus liberis, orbo patri viget innata succurrendi propensio, age dum consolare, subleva, sucurre, & me ama, vt te amo. Romæ vndecimo Kalend. Nouembris.

PETR.

PETR. PAVLVS BILLETVS CELSISSIMO P. D. P. S. D.

MUltos ante dies (innumeri enim mihi videntur, qui ab exilio tuo effluxere) ad te scripsissem, Celsissime Princeps, si te exilii tui dolore meritò affectum, de rebusque tuis solicitum litteris meis recreare sperauissem. Verùm & si id me assecuturum nunquam mihi polliceor, nihilominus tamen nunc non possum, quin ad te scribam, ne quo teneor officium prætermittere videar, simulque, vt mei in te studii, quæ per me licent signa, dare valeam, & denuò quod sæpè admodum feci, vt tibi asseram, me nihil non facturum, quo benevolentiam in me tuam mihi conciliem. Id equidem singulis diebus, qua possum diligentia, cura, & sollicitudine erga dilectissimum fratrem tuum præstare conor, & vtinam desiderio, studioque meo respondere dignaretur. Sed cum ea, quæ ego, & tu expetamus, nobis concedere nolit, quæ velit tribuere libentèr, accipere expedit, donec maturior ætas aliud ex eo extorqueat. Sed is omissis, ad alia transeamus: rumor est, Celsissime Princeps, te brevi ad nos redditurum. Hoc solatium erat, hæc mihi illuxerat spes, sed vt decimotertio Kalend. Nou. de hac re cum Celsissimo C. Comite L. locutus sum, hoc ita se habere negauit; addiditque nihil mihi credendum, donec me certiorem faceret. Hocce modo evanuit spes, vel si qua superest, tua tantùm benevolentia nititur, fac igitur vt me ames, & valetudini tuæ consule. Matriti nono Kalend. Novembr. Epist. 25

PETR. PAVLVS BILLETVS CVIDAM MEDICO *plurimam salutem dicit, si meruerit; si secùs, nullam.*

EX Celsissimo Comite L. multoties, & nuperrimè pridie nonas Majas intellexi, te ægrè admodùm ferre quod tàm diù litterarum studio incumberet, linguisque nostris ediscendis operam daret. Si mentem suam cogitatione tua conformandam existimes, meritò quidem iniquo animo feras, quod pluribus linguis incumbat, cum nullam calleas, & ipsam, qua nunc tibi scribo, vix intelligas, si se- Epist. 26

ſecùs imprudentèr admodùm agis, cum quod laudandum tibi ſit, invidia tantùm ductus, & mihi immeritò offenſus, tàm ridiculè vituperas à pluribus annis ſaluti ejus tuendæ, tota cura, diligentia, & ſollicitudine (vt credere eſt) operam nauas, & tamen ſæpè, diuturniſque morbis laborantem eum vidimus. An fortè ſcientia, & artes facilius, minoreque labore, quam ſalutem, & parari, & ſervari cenſeas, aut forſitan quod ex conviciis tuis in me neceſſe conjiciendum ſit, noſtrum Comitem benè valere tantùm cupias, ignarum autem eſſe velis? Eone devenit ignorantia tua, vt te lateat quantum ſit diſcriminis inter corpus, & animam, quantoque hæc illo ſit nobilior, tanto impenſiore cura ei incumbendum? Vt ab ignorantia, quæ tanquam illius ægritudo ſpectanda eſt, litterarum, & bonarum artium ſtudio depellatur? At herclè dices, non inter bonas artes, linguarum vſum cenſendum eſſe, nùm quæſo deceat, aut Prouinciarum Proregem, aut exercitus Imperatorem; aut Principis legatum, aut ipſum Principem interpretibus vti, quoties cum exteris ſermonis ineundi occaſio ſe offerat? Quis Mithridati plus decoris, & gloriæ, linguarum peritiam, quàm triumphorum numerum accerſiſſe neſciat? Nonnè tandem per totum Orbem Leopoldus Imperator omnium laudibus celebratur, ſcilicèt quod quinque linguarum ſit peritus, quas equidem neſciret, ſi conſilio tuo vſus eſſet: innumera ſunt eiuſmodi exempla inter huius ætatis Principes, quibus tibi innoteſcat, quanta ſit tua in damnando illarum ſtudio vanitas, inſcitia, & iniquitas. Sed eſto quod linguarum peritia nullius ſit ponderis, & momenti, quid, dic, amabo, inter bonas artes cenſebis? Quod Principem ſcire deceat, quodque docere non valeam? Quod (ni fallor) præſtare nequeas, cum rem ſi feliciter geſſeris, non animi, ſed tantùm corporis ægritudini depellendæ ſis idoneus. An Gallus ſum, quod indecoro occinis, ideòque me odiſti, ſcias autem velim, non fas eſſe hominem. Sed eius vitia odiſſe. Si quid ſit in me redarguendum, ſi benignè monueris, gratias agam; ſi malignè, animi labes tamen emendavero: verùm prius quam id aggrediaris, expende mores, ijſque corrigendis conſule. Id vnum denique te ſcire cupio, neminem vnquam me impune læſiſſe, aut læſurum, quod ne in dubium

revoces, quas ad te litteras mitto, ſcito me Typis mandaturum, vt omnibus patefiat, quàm temerè, & inconſultè me illæſus læſeris. Vale mente potius, quàm corpore, hæc eſt enim integerrima ſalus.

P. PAVLVS BILLETVS CHARISSIMO SVO Emmanueli Zapata. P. S. D.

EX quo hinc profectus es, clariſsime Vir, multoties ad te ſcribere aggreſſus, de die in diem hucuſque procraſtinavi, ſcilicèt, quod te vel rebus diſtentum avertere, & in aliud diſtrahere timebam, aut genio modeſtè, & moderatè indulgentem interrumpere nolebam. Hac autem ductus ratione, diutius forſan procraſtinaſſem, ni adhortationibus, & precibus amici motus, ad te ſcribere coactus, eſſem te etiam, atque etiam precaturus, vt libellum ſupplicem his in litteris incluſum, ad tui amantiſſimum, necnon tibi amatiſsimum Avellaneda mittas, commendatitiiſque litteris, quàm enixè, & vehementèr potueris, corroborare digneris. Te hoc in me beneficium, vt eſt humanitas tua, collaturum ſpero, me autem ejus vt & aliorum, quæ vix enumeraverim, perpetuò memorem forè credas velim, valetudinique conſulas. Matriti decimoquarto Kalend. Sept. *Epiſt.* 27

P. PAVLVS BILLETVS CELSISSIMO DVCI P. S. D.

RAptim, & paucis hæc ad te ſcribo, Celſiſsime Princeps, tribuſque de cauſis: primò de valetudine tua ſciſcitaturus, deindè tibi gratias acturus immortales, quod in litteris ad Celſiſsimum Levirum ſcriptis, mei memineris, & denique te certiorem facturus rei domeſticæ tuæ curatorem, dimidium tantùm ſtipendii præteriti menſis ſoluiſſe, quod ſpontè ſua eum feciſſe meritò putem, quod autem magnitudini, benignitati, æquitati, munificentiæque tuæ non conuenit, ſiquidem privati homines, ſi ſemel menſis exorſus ſit, integrum ſolvere ſoliti ſunt, tu verò hinc profectus ſis decimoquarto Novembris, fac precor vt operibus experiar, quod aliquando verbis mihi ſignificaſti, nempè te plura à Deo accepiſſe, ideò tantùm lætari, quod plura largiri poſſes. Fac tandem ne exilio tuo, exul videar, *Epiſt.* 28

me-

meque (& si abes) præsentem habeas, quod præstiteris, si quàm citius curatori præcipias, vt mihi reliquam stipendii portionem persolvat. Faustum tibi Pascha deprecor, quod parum mihi jucundum fore vaticinor, nisi quod anno præterito munere me donasti, hocce futuro donare placuerit, valetudini tuæ consule, & me tui amantissimum ama. Decimoseptimo Kalend. Ianuar.

COMOEDIÆ, SEV FABVLÆ CVIVSDAM Descriptio.

Epist. 29

QUod ante hilaria, mi Hortensi, hinc proficisci teneretis, te ægrè admodùm tulisse, non leuique dolore perculsum fuisse, sum mihi probè conscius; non equidem eorum causa: quid enim insultius, quid ineptius, in eorum verò decursu, in ædibus charissimi, clarissimique Viri Ioannis Muxica, quam ipse argutè admodúm, & acutè Comœdiam excogitarat, elegantèrque scripserat, quin agenda foret, minimè dubitas? Hoc enim sæpiissimè inculcaueram, & si probè memini, vt eam mihi recitaverat, nihil argutius, vrbanius, aut elegantius audivisse, multoties tibi asseueraveram. At herclè hinc animi tui dolor, nec immeritò cum vrgens necessitatis telum ab ea, quam sperare poteras animi aberratione te abduceret, atque amoveret. Verùm enimverò vt quo possem modo illius thesauri (sit venia verbis) jacturam resarcires, à me etiam, atque etiam postulasti, vt saltem quadam discriptiuncula, eam ob oculos tuos ponerem, elegantulisque coloribus pingerem: malè tibi consulens, hoc efflagitaueris, insanus promiserim; quippè ex verbis rudi Minerva exaratis, percipere vix valeas, quot, & quanti in ea lepores, quot humaniorum litterarum flosculi, quot sales, quanta jocorum varietas, multoties te pœniteat, hæc omnia cuicumque vtilitati posthabuisse, hoc tantùm supersit tibi solatium, non spontè, sed vt superius innui, necessitatis telo coactum abiisse: ergò eam tibi ab initio, rudi licèt oratione, exprimere, & persequi aggrediar. Si tantùm illius Comœdiæ prologum audieris, pluribus Comœdiis æquiparandum existimaveris, nihil congruentius, nihil aptius, carmina illius, si musices ornatu nuda spectaveris, attentequè perpenderis, nihil concinnius, nihil jucundius, attentoque

animo dignius. At bone Deus! Si ferè integrum eum canoris vocibus, & harmonico organorum concentu, ornatum, & instructum, animo tuo effinxeris, nihil gratius, auribusque acceptius, audiuisse fatearis; quod vt persuasum habeas, sat erit, si hanc harmoniam à nostro Ioanne Paredes peritissimo, necnon dignissimo symphoniaci in Regio Discalceatarum Virginum Cœnobio Chori Moderatore elucubratam esse dixerim. Ad hæc aliud addendum supervacaneum existimem, cum nulli non innotescat quanta sit in concentibus, & modulationibus effingendis illius peritia, cæterùm non omiserim in illo canoro certamine cunctos, qui pauci non fuere, necnon omnes Musicæ periti adeò excellentèr, & eximiè modulatos esse, vt cum ipso Apolline contendere posse viderentur: quod tu non modò, verùm omnes, qui intentis auribus auscultabant, mirati fuerint, nec immeritò quidem, cum inter tot, nullum organum, nulla vox à concentu aberrare, & deflectere audita sit: aliis Prologis, eum aliquantulo fusiorem, si temporis momenta enumeres, & perpendas, si qua sensus mulceat, atque lenocinetur, voluptatem ponderes, breviorem quolibet alio censeas: vnum te scire volo, nostrum Iosephum Sancium, non argumentum Comœdiæ, sed vnde orta esset sub intellectus nomine, qui trium Illustrium fœminarum iussu, eam scribendam suscepisset, prius exhibuisse. Carminibus Hispanicè scriptis eum decantaui, haud te latet, verùm quot linguis potuero, eum cecinerim, nec satis decantari posse existimavero. Hic autem, cum se tanto oneri imparem fateatur, anxius, cura, & sollicitudine pressus, somno indulgere simulat, cui dum operam dare saltem videtur, ideæ personam induens serva. Proh dolor! Quod ita mihi sit appellanda! Quæ, si dotes eius animadvertas, ingenua admodùm videatur, serva inquam prædicti nostri Ioannis Muxica *Monophonia*, audientium coronam adeò suavitèr allicit, adeò jucundè demulcet, vt si quanta sit illius in canendo & gratia, & suavitas perpenderis, te hic non adfuisse tædeat. Huic autem, Apollinis personam gerens, succedit Philippus, Musices peritus, sed dulcedine vocis, non minus, quàm peritia spectabilis, vnaque cum prædicta serva, jam verò persona ideæ deposita, Iosephum nostrum somno indulgentem, canoris suasionibus blanditur, ani-

mumque dubitantem firmat, & corroborat; paulatim deindè in scœnam prodeunt varij, varias personas induentes. Hic voluptatis, hæc harmoniæ, hic desiderii, hæc solertiæ, hic lepòris, hæc observantiæ, altera verò Musici numeri, theatrumque adeò jucundè, & splendidè complent, tàm numerosè perturbant, vt nihil oculis gratius, nihil auribus suavius excogitare valeas.

Finito autem, & peracto Prologo, tantillum temporis, si te juvat, hæc omnia, quamvis inconditè, & rusticè exarata, tu mente, vt qui ea legeris, ego oculis, vt qui jam ea viderim, perlustremus, donec qui cantaturi in scænam prius prodierint, quas sustinent personas, in Comœdia acturi, iterum prodeant. Gratam equidem, sed difficilem, & operosam Prouinciam suscipio, sed ordinatim progrediendo, quambrevitèr describere aggredior Comœdiam, per actus distribuendo, forsitan minus operosé consequar. In hac autem noster Sanctius primam, nec immeritò personam sustinet, primusque in scœnam prodit, vnacum famulo, qui vt consuetudo in Comœdiis ferè semper obtinuit, ludionis persona fungitur, causamque itineris exponens, narratione admodùm lepida, quo pacto in viatores incidens, nobili cuidam fœminæ, opem labenti ferens, illius amore captus, & incensus fuerit, simulque pungentibus zelotypiæ aculeis cruciari, amoris ignibus vri, metuque, & diffidentia percelli fatetur; acceperat enim hanc cuidam Patrueli suo nuptum, Matritum venire, peractaque oratione, ab Apparitore Equestrium Ordinum, Præsulis iussu, accersitur. At dum scœnam relinquit, in eam alio aditu progreditur noster nobilis Franciscus Montalvo, cujusdam provectæ ætatis viri, cui nomen est Petrus à Roxas, in hac fabula personam sustinens, modulatique carminis harmoniam auscultans (tunc enim modulari ceptum erat) se concentui intentum simulat, sed eximiè adeò, vt verbis exprimere nequeam, & posteaquàm ex famula fratris sui Felice, de valetudine sciscitatus, quid agat percontatur, & cujus sit, quam auscultaverat, harmonia, intelligit ex ipsa famula, aliam esse, quæ modulatione Dominam recreet, dum autem consilium probat, & ne sit impedimento, mandata ad eam perferenda exponit, in scœnam prodit noster Alphonsus Zapata, cui in hac fabula nomen est D. Felix, &

ex

ex Musicæ modulationis carminibus, quorum vltima verba repetens: attentè perpendit, malè sibi de consilii sui euentu auguratur, nec videns, nec visus à Patruo, qui Eleonoram fratris sui filiam, jam jam in scænam progredientem, de proximo, Patruelis eam vxorem ducturi adventu certiorem facit, & parùm benignè, & humanitèr patruelem excipiens, confestim abit, vnde ille judicium de sorte sua anteà latum, firmatum satis videat; intereà à patruo accipit, vt quæcumque ad Equestrem Ordinem, quo decorari, & insigniri desiderat, spectare possint, jam sint peracta, vt ad conjugium immunitatem obtenturus, litteras scripserit, vt deniquè cura, & diligentia sua matrimonium ejus stabilierit, & dum hæc omnia juveni nostro refert, Equestrium Præsulis Ordinum jussu, per famulum accitur, certiorque fit ab eo, voti compotem fuisse, vnde vterque quàm citius abit, Patruelis noster gratiam Præsuli acturus, noster verò juvenis, de nobilitate sua inquisiturus, vt eum comitèr salutet. Dumque hinc abeunt, Beatrix, cujus personam sustinet, serva nostris anteà laudibus celebrata, quam comitatur Célia ejus ministra, illinc in scænam prodeunt viatoria veste indutæ, quam salutaturus egreditur vetulus Alphonsus, cujus personam gerit noster clarissimus Ioannes Muxica: quin concinne carmina recitaverit, qui eximiè ea scribere valeat, quis, nisi mentis inops, in dubium revocet? at me herculè quam vrbanè, & lepidè se excusatum haberi velit, quod illi anteà non obviam prodierit, inde post exitum, & Dominæ, & famulæ, laudes non paucæ, istius autem, & sales, & joci, quibus simul vetuli vrbanitatem & celebrat, & vellicare videtur, dumque gratulabundus hospitis exceptionem verbis efferunt, nouissimi domicilii præclarum instructum perlustrando, è capsula, quam fortè inveniunt reseratam, Equestris Divi Iacobi Ordinis insigne gemmis distinctum expromunt, vnde ira exardescit Beatrix, quæ in eo insigni, ignotæ fœminæ imaginem pictam retegit. Bone Deus! Quàm lepidè furit! At dum sic irascitur, noster Felix, qui sollicitus, qui de nobilitate sua quæstionem exerciturus erat, salutaturus eum quærebat, quippè sciendum tibi est, hoc prius nostri Sanctii domicilium fuisse, vt in Beatricem casu incidit, culpam à se ignoratione amolitur, dumque blandulis verbis id assequi contendit

insano illius amore capitur, intereà autē vetulus Alphonsus in scenam prodit, & à juvene Alphonso certior factus, ad quid venerit omne officii genus se, filiumque suum præstituros pollicetur, illique variis exitibus abeunt. Tùm verò dū Ludio Domino obtemperaturus ingressum tentat, causam timoris, solicitudinisque heri sui ablaturus, scilicèt insigne illud gemmatū, quod dono acceperat ab ea nobili fœmina, cujus in itinere amore accensus fuerat, vt Beatricem adesse animadvertit, in tempus opportunius consiliū differt, quod equidem breuitèr se se offert, opportunitatemque præbet insignis auferendi, in quo rei simul, & fabulæ summa sita est. Tùm verò Agnes, Beatricis ancilla, cujus personam induit Rosa Philippi nostri conjux, Dominæ refert vt litteras pertulerit, & dederit, nec ad eas responsum acceperit, culpamque in patruum amolitur, monetque, Ioannem à Silva Patruelem adventasse, ejusque hospitio vti; dumque super his secum sola colloquitur Eleonora, egreditur Silva, seque invicem probris, quamvis amantibus vellicant, querulisque illecebris lacessunt; ast vbi mutuo licet vrbane, se increpantes discedunt, vltima Amasii nostri verba auribus excipiens, Eleonoræ patruus, quasi admiratione captus, nostrum Amasium interrogat, quid sibi velit, quam profiteretur veneratio, cui vt satisfaciat, omnemque suspicionem adimat, literas, quas ab Leonora acceperat, eratque ei redditurus, eas ipsas ipsi patruo reddendas, animadvertens reddit. Felicitèrque se se hoc casu, ex illo difficultatis laqueo expedit.

At herculè si drama, vt non te latet, in agendo sistit, atque versatur, ex hoc primi actus descriptiuncula, tùm quæso quid titulo congruentius audieris, & si ex ea, quam pro viribus, & vt est ingenii mei tenuitas, exaraui, quam in scena speciem præ se ferre valeat, rectè perceperis, quid aliud amabo jucūdius, gratius, & lepidius excogitare possis?

Vt autem consuetudo est, peracto actu Comœdiæ primo, mimos spectatoribus exhibere, eos noster clarissimus Muxica, ex ipso bachanalium tempore deprompsit, auspicato satis, quamvis enim vt superius innui, nihil sit, hilariis insulsius, non idem de lepida eorum imitatione dicendum duxerim. Quippe monstrum quis cum delectatione conspiciat, at herculè quis ejus imaginem eximiè pictam cum voluptate non intueatur? Cæterum non in describen-

ſcribendis tibi his jocis tempus teram ſat erit, ſi quæcumque parum lepide in bachanalibus patrantur, mirificè admodùm efficta eſſe aſſeueraverim.

Verúm ad ſecundum actum tranſeamus, audiamuſque Fabium, ceu Ludionem noſtrum facetè admodùm heri ſui inſigne aduerſa cum Apparitore, de quo ſupra, alea certando, dilapidaſſe conquerentem, Apparitoremque ei conſilium impertientem, ne impoſterùm rei alienæ periculo certet, ſimulque illicò ſe illud Felici venditum conferre innuentem, dumque ſuam vicem dolet, & quid agat ſecum ipſe animo voluit, & agitat, in ſcenam prodit Celia noſtra, cui vt anteà ſibi cognitæ (prius enim iiſdem heris famulati erant) adverſum, gravemque caſum ſuũ refert, cui illa, miſerata ejus conditionem, remedium afferre ſpondet, ea lege, vt ſe vxorem ducat, ille, dumque ſuper his verba facientes deambulant noſter Felix, hinc quaſi clanculum egreditur, viſendæ Beatricis deſiderio ductus, quam ad Sacras Diui Georgii Ædes, ex rheda deſilientem animadverterat, illinc verò Ioannes noſter à Silva egreſſus, anxium ſe oſtendit, quod nondùm cujus nobilitatem probandam ſuſcepiſſet, nobilem adoleſcentem viderit, ſimulque innuit, ſe ad fores Templi Eleonoram expectatum venire, vt illius imperio, deſiderioque ſuo ſimul ſatisfaciat. Vixque adventarat, cum Eleonora, miniſtraque ſua è Templo exeuntes, vt eum ſentiunt, indicio evocant, principio ambigit, mox verùm vt ſe evocari cognoſcit, accedit, interrogatuſque ab Eleonora, quid de inſigni, quod ea ſibi dediſſet, fecerit, ſi quidem illud non geſtat, tergiverſatur, nec idoneas excuſationes proponit, intereà verò vt Apparitor noſter noſtrum Felicem per vicum tranſeuntem viderat, eum allocuturus, eique inſigne venditurus, vt anteà ſtatuerat, advenit, dum verò de pretio agitur, vt noſter Felix Beatricem è Templo exeuntem animadvertit, eam allocuturus progreditur, Apparitorique præcipit, vt paululum expectet, vtque illum cum fœmina loquentem proſpicit, expectare ſtatuit, intereà autem in querelis permanente Eleonora, egrediuntur vna Beatrix, noſterque Felix, vt verò illa à quibuſdam ſe circumſpici animadvertit, celeritèr abit, tùm verò noſter Felix, à quo inſigne, quod vendidiſſet acceperit, ab Apparitore ſciſcitatur, certiorque factus illius olim fuiſſe, qui cum illa fœmina

nem-

nempè Eleonora loqueretur, dimittit illum, jubetque ad se venire, vt pretium insignis accipiat; tùm verò nostrum Ioannem adit, ab eoque postulat, vt finito suo, cum illa nobili fœmina colloquio, sui copiam faciat, vnde Eleonora perturbatur, & ne à Patruele dignoscatur, faciem obtegit, velocitèrque discedit; tùm autem Felix noster Ioannem à Silva interrogat, an illius sit illud insigne, in quo sit picta illa effigies, vtque suum esse respondet noster Ioannes, enses distringunt; sed vt ab hominum frequentia dissidium necessariò coercitum iri animadvertunt, abeundum censent, nosterque Felix ad singulare certamen Ioannem à Silva provocat, locumque prope Divi Blasii Templum, horamque tertiam indicit, simulque monet, Accensum sibi eligat, idem ille præstiturus; at dum noster Ioannes animo voluit, quo pacto, & vnde illud insigne habuerit noster Felix, & innumeris curis, & sollicitudinibus agitur, in scænam prodit noster Petrus à Roxas, & ex respondendi modo, sub tristique facie, quid mali suspicatus, vt quid sit fateatur, vrget, & premit: quo verò intentius, nihil noui esse affirmat noster Ioannes, acrius ille instat, ita vt tandem ab eo Optio eligatur, ad singulare certamen: & vt vna abeunt, in scænam prodeunt Eleonora, ministraque sua, velo opertæ, vt quæ insigne recepturæ in domum nostri Ioannis se conferant, in Fabiumque, ceù ludionem nostrum incidunt, à quo Celia, quæ faciem retegit, venditum fuisse insigne illud accipit: vnde Eleonoræ metus, dolor, & sollicitudo, tunc verò egredientis Felicis nostri conspectum, vt effugiant, alio aditu Beatricis domicilium ingrediuntur; ille verò, vt qui sui generis nobilitatem probandam susceperit, vt Optio sibi opem ferat, se quærere innuit, pulsat ostia, ad quem strepitum Beatrix, vnàcum ancilla egreditur, Felicemque credens Eleonoram insequi, de proditione eius conqueritur, verùm cum litem vetulus noster Alphonsus adventu suo dirimit, qui vt à Felici nostro, iam enim abierant Beatrix, eiusque famula, accipit se quæsitum venire filium suum, causam sollicitè, & vehementèr sciscitatus, certiorque factus tandem se nobilem quemdam ad singulare certamen provocasse, illi nihil interesse, quod suus filius absit, innuit animosé, seque pro filio optionem in illo certamine fore, fortitèr,

titèr,

titèr, & generosé pollicetur, vt qui licèt ætate grandiusculus sit, tamen juvenili viriditate instructus, vnaque abeunt; túm verò egrediuntur Eleonora, & Agnes, Beatrix, & Celia, illa verò vt quod intercesserat inter Beatricem, & Felicem clam auscultaverat, Beatrici suadet, Felicem amitam quamdam suam, sibi velle matrimonio jungere, vnde Beatrix zelotypiæ ignibus vritur. Intereà autem noster Petrus à Roxas, & Ioannes à Silva, vt adventant cum aliis dimicaturi, Felicem, nostrumque Ioannem advenientes prospiciunt, dolorisque mutui sensus, non verbis exprimunt, sed stupore innuunt; vtque certamen dissolvatur, juvenes invicem certiores faciunt vetuli, Felicem, quis sit Ioannes à Silva, Ioannem à Silva, quis sit Felix, vt hac consideratione, ira aliquanto tepidius evadat; & si fieri posit, evanescat. *Cætera desunt.*

FINIS.



Tabula

TABULA
OPERVM IN HOC VOLVMINE contentorum.

FINIS.





BILLET
OPUSC



colorchecker CLASSIC





















calibrite

mm